



## Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at <http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content>.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

QUO MODO ARISTOPHANES REM TEMPORALEM  
IN FABULIS SUIS TRACTAVERIT<sup>1</sup>

QUAESIVIT OTIS JOHNSON TODD

RATIONES rei temporalis tractandae in tragediis Graecis inde ab Aristotelis aetate perpenderunt multi viri docti, nuperque eadem de re quoad fragmenta Menandri potiora fabulasque Plautinas et Terentianas attinet Aemilius Polczyk disseruit.<sup>2</sup> Vetus comoedia autem quae cum origine<sup>3</sup> tum forma a tragedia distat nec multo minus et forma et re a comoedia nova dissimilem nobis praebet materiam. Ut tragediam enim praeteream, vetus comoedia ex iocis iocularibus scaenis (ut recentiore significatione utar) magnopere pendet, nova potius e tota actione; multa igitur in vetere comoedia ideo dicuntur ut risum spectatoribus moveant potius quam ut veram vitae nostrae praebent imaginem aut sicut pleraque in nova comoedia cum tota fabula congruant. Accedit autem quod ὑπερβολὰς saepe in verbis temporalibus Aristophanes adhibebat, interdum in actione magicas res. Cavere igitur debet

<sup>1</sup> Haec verbis uno et altero hic illuc adiectis vel mutatis vel demptis nec non maioribus quibusdam rebus in melius, spero, refectis dissertatio est quam ad doctoris philosophiae gradum apud Universitatem Harvardensem assequendum pridie Kal. April. a. D. 1914 professoribus linguarum antiquarum classicarum obtuli.

Textum Aristophanis quem editores Oxonienses a. 1900 constituerunt secutus sum. Nonnumquam brevitatis causa haec fabularum sigilla adhibui: A E N V P Av. L T R Ec. Pl.

Professoribus Ioanni Williams White atque Cliffordo Herschel Moore hic velim gratias apertius agere, huic quia in tempore criticus benevolus adstitit, illi ut quo duce salibus Aristophaneis iucundum per annum mihi perfrui contigerit et qui adhuc eruditionem suam benigne impertiat.

<sup>2</sup> *De Unitatibus et Loci et Temporis in Nova Comoedia Observatis*; dissertatione, Vratislaviae, 1909.

<sup>3</sup> Arist. *Poēt.* 1449<sup>a9</sup> seq. affirmat: . . . γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχέδιαστικῆς καὶ αὐτὴν (sc. ἡ τραγῳδία) καὶ ἡ κωμῳδία καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἔξαρχόντων τὸν διθύραμβον ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικά κτέ.

lector veteris comoediae ne in vitium incidat dum nimiam veritatem a poeta exigat; forsitan infacetos etiam hoc quam maxime cavere conantes Aristophanes iudicaverit.

Verum utut haec se habent, temptabimus pro virili parte rationes exponere quas Aristophanes in re temporali tractanda adhibuerit. Quo in negotio in animo habeo e verbis Aristophanis ipsius de hac re sententiam ferre. Si quid enim extra scaenam agi fingit quod re vera diebus aliquot ad perficiendum egeat sed in scaena ipsa continuam interim praebet actionem nequeo egomet dicere eum temporis tantum intervallum spectatoribus in mentem venire voluisse; prae-cessit cum ignotum non sit antiquis poetis scaenicis minus ad unguem quam nostratis apparatum omnem coloris, soni, formae in scaena repraesentare curae fuisse. Ubi igitur ab Aristophane penitus de tempore siletur ego affirmare nolo; verum quae de tempore non per iocum dicuntur haec pro indicio bono habebo.

## I

Primum igitur analysin (si licet Graeco verbo utar) fabularum eiusmodi instituam ut quantum temporis dramatici<sup>1</sup> in singulis fabulis posuerit perspicuum sit; quo clarius id fiat prius examinandum est et tempus diei quo initia fabulae capiant et intervalla quae per fabulas poeta fingit intercedere et tempus in quod fabulae desinunt.

## A

Imprimis autem eas exponam quae unitatem temporis non observant.

i. *Plutus*

A fabula *Pluto* igitur exordiamur, quae ut parcus chori officium retinet ita liberius nos de temporis spatio iudicium ferre sinit. Temporis autem diei quo fabula *Plutus* incipit nullum est indicium; sane diu Chremylus, Cario, Plutus ambulavisse videntur Delphis

<sup>1</sup> Verbum “dramaticum” quam “scaenicum” idcirco mallem dicere ut eodem modo tempus nominetur quo res quae in fabula ipsa agitur; quominus autem verba “res scaenica” ad id adhibeam eo impedior quod iam pridem iis viri docti significant ea quae ad modum fabulae in theatro agendae pertinent. Verba igitur “tempus dramaticum” et “res dramatica” usquequaque in hac dissertatione invenientur.

usque Athenas,<sup>1</sup> Carioque saltem nequire appareat diutius se a iurgio continere.

Chremylus vss. 231–3 dicit hodie se a Pluto locupletandum esse:

ἡ γὰρ οἰκία  
αὕτη ἔτιν δὲν χρημάτων σε τήμερον  
μεστὴν ποιῆσαι καὶ δικαῖως κάδικως.

Id quod evenisse appareat dum Chremylus et Plutus intra aedes<sup>2</sup> inter vss. 252 et 322 sunt; certe rumor de Chremyli divitiis hoc intervallo per tonstrinas delatus est; cf. enim quae vss. 337–9 Blepsidemus nuntiat:

καίτοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα πολὺς  
ἐπὶ τούσι κουρέουσι τῶν καθημένων  
ώς ἔξαπίνης ἀνήρ γεγένηται πλούσιος.

Interea autem aliud extra scaenam agitur; nam Cario vss. 222, 223–6, 229 iussus festinanter agrestes Chremyli amicos arcessere vs. 253 ut chorum eos inducit. Etiamsi non nimis verbo πάλαι inniti possumus ut quo saepius καθ' ὑπερβολὴν Aristophanes utatur<sup>3</sup> tamen e vss. 257–8, 261 statuere licet poetam satis longum tempus eos trivisse spectatoribus significare voluisse.

Inter vs. 252 cum Chremylus Plutum domum introduxit et 332 cum Blepsidemus in scaenam festinat, dum chorus parodo vss.

<sup>1</sup> Delphis eos prefectos esse et ex vss. 8–13, 16, 32–44, 212–3, 356–8 elucet et ex eo quod adhuc carnem coronamque gerit Cario (cf. vss. 21, 22, 227 et Rogersi notam p. 2 editionis suea); scaenam in Attica esse locatam constat, et quidem in urbe Athenis statuunt Van Leeuwen, Rogers, White, neque, ut opinor, immerito; non tamen abnuendum est e vss. quibusdam colligi posse de regione rustica fortasse poetam cogitavisse; cf. enim vss. 69–70:

ἀναθεὶς γὰρ ἐπὶ κρημνὸν τιν' αὐτὸν ἀπολιπὼν  
ἀπειμ' ίν' ἐκτραχηλισθῆ πεσών,

item vss. 223–4, 253–4, 322 unde agricolae apparent Chremyli amici esse; nec non quae Plutus oculis refectis vss. 771–3 dicit:

καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν ἥλιον  
ἔπειτα σεμῆς Παλλάδος κλευνὸν πέδον  
χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος ἡ μ' ἐδέξατο.

Num, id quod Rogersio placet, histrio sub arce declamans verbo πέδον de illa utebatur?

Quorsum autem pertineat scaenae cognitio p. 4 et n. 4 s.f. ostenditur.

<sup>2</sup> Cf. 249 seq.

<sup>3</sup> Cf. *Vesp.* 825, *Av.* 49, 1641, *Plut.* 1039, alibi.

253–321 perfecta inter vss. 321 et 322 saltat, temporis dramatici tantum intercessit ut volgus in tonstrinis de Chremyli divitiis<sup>1</sup> audiret. Quocum intervalli indicio consentit vs. 410 ubi Chremylus de consilio refert quod iam dudum inierit.<sup>2</sup> Sed nondum fines diei unius fabulam excessisse vel e. vs. 344 manifestum est: Chremylus enim ἀμεινον, ait, ἦ χθὲς πράττομεν. Et repentinum totum negotium visum esse indicatur vss. 336: πεπλούηκ' ἔξαπίνης, 339: ὡς ἔξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλοβοιος, 353–4: τό τε γὰρ ἔξαιφνης ἄγαν οὐτως ὑπερπλουτεῖν, nec non vss. 377–8:

Βλ. ὡς τὰν ἐγώ τοι τοῦτ' ἀπὸ σμικροῦ πάνυ  
ἐθέλω διαπρᾶξαι πρὶν πιθέσθαι τὴν πόλιν.

Post vs. 626<sup>3</sup> tandem Chremylus una cum Blepsidemo et Carione deum ad Atheniense<sup>4</sup> Aesculapi fanum abducit ut ex oculorum morbo convalescat.

<sup>1</sup> Cf. vss. 337–9, 346. At nihil de Pluti adventu cognoverant; cf. vss. 391–7.

<sup>2</sup> Cf. vss. 94–6, 112–116.

<sup>3</sup> Hoc in animo se habere iam vss. 95, 114–116, 126, 208–217, 400–2, 410–12 ostenderat; atque vs. 414 conatus Plutum abducere a Penuria impeditus erat quominus hoc perficeret.

<sup>4</sup> Urbanum existimo esse templum quod iam anno 420–19 a. C. ex inscriptione (*I. G.* II. 1649; cf. quae A. Körte, *Ath. Mitt.* xviii, 1893 et xxi, 1896 scribit; Dragoumis, *'Εφ. Ἀρχ.* 1901; Micheli *Recueil d’Inscriptions Grecques suppl.* 1529) constat Athenis fuisse. Boissonade (cf. Blaydesi n. ad *Plut.* vs. 621), Marindin (*Cl. Rev.* 1898, p. 208), Körte (*Ath. Mitt.* xviii, p. 250, n. 2), Van Leeuwen (ad *Plut.* vs. 621) censem fanum in Piraeo situm Aristophanem significasse; Rogers (ad *Plut.* vs. 621), fanum Aegineticum; scholiastes, urbanum. Priores illi ob marinam lavationem (cf. vss. 653–8) prope mare putant fanum necessario fuisse; non enim consentaneum esse poetam qui marinam lavationem statuerit, senem in fano urbano quinque fere milibus passuum a mare distante accumbere voluisse. Igitur Piraeum templum illi indicant esse, Rogers Aegineticum quia Piraicum celebre fuisse non videatur.

At ὕστερον πρότερον videntur mihi facere qui lavatione illa innixi fanum aliquod prope a mare situm iudicant esse. Consideremus enim quo pacto Aristophanes fabulam meditans de hoc fano cogitaverit. Primum ergo ita scripsit (vss. 410–12):

Χρ. μὰ Δι' ἀλλ' ὅπερ πάλαι παρεσκευαζόμην  
ἐγώ, κατακλίνειν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ  
κράτιστόν ἐστι.

Mera fani mentio hic fit, nihil dictum est de Aegina, nihil de Piraeo, nihil de mare. Iterum vss. 620–1:

Vs. 627 Cario in scaenam regressus nuntiat deum esse sanatum.<sup>1</sup> Inter vss. 626 et 627 autem dum choreutae saltant noctem paulo plus intercessisse fingit Aristophanes. Nam vss. 653 seq. Cario postquam lavatione marina sacrificioque confectis, Pluto ceterisque in somnum dispositis, lucernis extinctis Aesculapium ipsum aegrotos curavisse, quo manifestius pateat per noctem haec transacta esse vss. 742-4 adicit:

οὶ δ' ἐγκατακείμενοι . . . . .  
τὸν Πλούτον ἡσπάσοντο καὶ τὴν νύχθ' ὄλην  
ἐγρηγόρεσαν ἔως διέλαμψεν ἡμέρα.

Secundo igitur die nunc versamur; verum prima fere luce esse conicere licet: deus enim noctu sanatus nunc primum multa gratulantium caterva comitante e templo reddit<sup>2</sup> nec procul abest.<sup>3</sup>

Χρ. ἐγώ δὲ καὶ σύ γ' ὡς τάχιστα τὸν θέδν  
ἐγκαταλινοῦντ' ἀγωμεν εἰς Ἀσκληπιοῦ

fanum solum commemorat sicut etiam Xenophon *Mem.* 3, 13, 3 (*τὸν ἐν Ἀσκληπιοῦ*) ac Theophrastus *μικροφίλοιτις* §10 (ἐν τῷ Ἀσκληπιεῖῳ), quasi nomine tantum locus facile intellegeretur. Lavationis autem illius vss. 653 seq. demum mentionem facit cum post remedium effectum de variis eius partibus Cario narrat. Etsi igitur complura Aesculapi fana in Graecis urbibus exstabant Aristophanes cum primum meditabatur εἰς Ἀσκληπιοῦ modo scripsit.

Nec praetereundum esse videtur id quod vss. 624-5 poeta adiecit:

πᾶν Καρίων τὰ στρώματ' ἐκφέρειν σ' ἔχρην  
αὐτὸν τ' ἀγειν τὸν Πλούτον ὡς νομίζεται.

Non enim *θεραπέειν* dicit sed ἄγειν ὡς νομίζεται. Num mos fuit Atheniensium — siquidem in hac re ullum certum observabant morem — ut Aeginam inve Piraeum aegrotos ducerent curandos cum iam triginta duos annos tam celebre fanum ipsi habebant?

Et quid spectatores? Meminerimus complures eorum in theatro adsedentes magnum hoc Aesculapi templum in arcis clivo tam diu situm iuxta theatrum intueri potuisse; cum igitur histrio primum modo Plutum εἰς Ἀσκληπιοῦ obdormitum inducendum elocutus est nonne de hoc templo cogitavissent? Et cum paulo postea eadem fere iteravit nonne etiam firmius hoc cogitavissent, ut cum denique de lavatione illa redituque in templum narratur minime eis mirabile videretur? Sane si Aristophanes aliud templum significasset quam quod spectatores facile potuerunt suis ipsorum oculis conspicere debebat certius id nominare.

Cum igitur urbanum videatur significasse templum et supra (p. 3) viderimus scaenam Athenis esse, breve iter Chremylo ceterisque esse conficiendum iudicemus oportet.

<sup>1</sup> Vss. 633-6; cf. 738, 746.

<sup>2</sup> Cf. vss. 742-4, 749-53, 757-9, 782-7.

<sup>3</sup> Cf. vs. 767: ὡς ἀνδρες ἐγγύς εἰσιν ἥδη τῶν θυρῶν.

Post chori saltationem quae inter vss. 770-1 intervenit in scaenam Plutus intrat, vs. 801 in Chremyli domum. Hactenus igitur non multum temporis post Plutum sanatum praeteriit.

Et cum Cario vs. 802 post chori saltationem in scaenam ingressus domum bonis repletam esse eloquitur rem ita similem nostris magicis fabulis esse sentimus ut tempus certum ad id efficiendum haud requiramus; tamen intervallum aliquantum intercessisse Cario docet cum vss. 816-8 tamquam de usitatis dicit:

στατῆροι δ' οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν  
χρυσοῖς· ἀποψύμεσθα δ' οὐ λίθοις ἔτι  
ἀλλὰ σκοροδίοις ὑπὸ τρυφῆς ἐκάστοτε.<sup>1</sup>

Sed adhuc postridie esse eius diei quo Chremylus Plutum Athenas secutus est e verbis delatoris vs. 882 patet: ἐχθὲς δ' ἔχοντ' εἰδόντες σ' ἕγω τριβώνιον.<sup>2</sup>

Etsi autem delator vs. 850<sup>3</sup> et vss. 856-8 et anicula vss. 967-9<sup>4</sup> et Cario vs. 873<sup>5</sup> quasi de longo temporis spatio loquuntur tamen manifestum est καθ' ὑπερβολὴν eos loqui;<sup>6</sup> nam et anus vs. 1046 confitetur etiam heri sibi bene fuisse et delator vs. 882 heri se iustum illum virum vidisse adhuc pannos gerentem.

Cum autem per reliquam fabulam anus haec sive in scaena seu in Chremyli domo versetur iuvenem captans verisimile videtur esse Aristophanem quae supersunt omnia intra hunc diem peragi sibi animo finxisse.<sup>7</sup>

<sup>1</sup> Cum hac temporis ratione convenit sacrifici sumptuosi comparatio (cf. vss. 819-22).

<sup>2</sup> Quod iustus vir vs. 937 ἵερὸν γάρ ἔστι τοῦ Πλούτον πάλαι respondet superlatonis instar est sicut saepe in verbo πάλαι.

<sup>3</sup> οἵμοι κακοδαίμων ὡς ἀπόλωλα δεῖλαιος.

<sup>4</sup> πέπονθα δεινὰ καὶ παράνομ' ὡς φίλτατε,  
ἀφ' οὐ γάρ οὐθὲς οἴτος ήρξατο βλέπειν  
ἀβίωτον εἶναι μοι πεποίηκε τὸν βίον.

<sup>5</sup> δῆλον ὅτι θουλιμά.

<sup>6</sup> Plus quam verum rursus vs. 1039 dicit illa anus:

οὐπερ πάλαι κατηγοροῦσα τυγχάνω,

tantum enim a vs. 975 iuveni maledicere incepérat. Item iuvenis vs. 1055 καθ'  
ὑπερβολὴν verba διὰ χρόνου usurpat: verius enim vs. 1043 πολιά inquit γεγένησα  
ταχὺ γε νῆ τὸν οὐρανὸν.

<sup>7</sup> Eodem fortasse pertinet mentio aiae aedificandae vss. 1191, 1197-8; hanc enim eodem die putares aedificari quo deus domum Chremyli sanatus inierat.

Quocum discrepare primo quidem aspectu videntur ea quae Hermes sacerdosque affirmant; ille enim vss. 1113-23<sup>1</sup> veluti de longiore temporis intervallo dicit:

. . . ἀφ' οὐ γὰρ ἥρξατ' ἐξ ἀρχῆς βλέπειν  
δὲ Πλοῦτος, οὐδεὶς οὐ λιβανωτόν, οὐ δάφνην,  
οὐ ψαιστόν, οὐχ ἴερειν, οὐκ ἄλλ' οὐδὲ ἐν  
ἡμῖν ἔτι θύει τοὺς θεούς . . .  
. . . ἐγὼ δὲ ἀπόλωλα κάπιτέτριμμαί . . .  
πρότερον γάρ εἶχον μὲν παρὰ ταῖς καπήλισιν  
πάντ' ἀγάθθ' ἔωθεν εἰθύς . . .  
νυνὶ δὲ πεινῶν ἀναβάδην ἀναπαύομαι.

Sacerdos autem vss. 1173-4 locutus:

ἀφ' οὐ γὰρ ὁ πλοῦτος οὗτος ἥρξατο βλέπειν  
ἀπόλωλ' ὑπὸ λιμοῦ

vss. 1177-84 haec adicit:

θύειν ἔτι οὐδεὶς ἀξιοῦ.  
ὅτι πάντες εἰσὶ πλούσιοι. καίτοι τότε  
ὅτ' εἶχον οὐδὲν, δὲ μὲν ἀνὴρ ἡκών ἔμπορος  
ἔθυσεν ἴερεῖν τι σωθεῖς . . .  
. . . νῦν δὲ οὐδὲ εἴσι  
θύει τὸ παράπαν οὐδὲν οὐδὲ εἰσέρχεται  
πλὴν ἀποπατησόμενοί γε πλεῦν ἢ μύροι.

Atqui nihil de temporis processu afferunt; de mutatione potius rerum queruntur. Et delatorem, anum, Hermen, sacerdotem quippe qui repentina clade affecti sint κωμικῇ ὑπερβολῇ uti cum de se ita queruntur et per se ipsum consentaneum est et inde quia iam antea in aliis fabulis tales ut dolosos avarosque Aristophanes irriserat.<sup>2</sup> Huc accedit quod et Hermes et sacerdos hoc die a mane usque in vesperum nihil cibi ceperunt;<sup>3</sup> esurientes in maius conqueruntur.

Atque alio pacto probatur eam partem fabulae quae vss. 959-1209 continetur eodem die omnem peractam esse. Nam in ea parte quae e vss. 959-1096 constat iam de iuvene veluti comissa-

<sup>1</sup> Cf. 1126, 1128, 1130, 1132.

<sup>2</sup> Cf. *Ach.* 818 seq., 910 seq., *Pac.* 180 seq. praesertim 192-4, 362-79, *Av.* 1410 seq., *Eccles.* 877 seq.

<sup>3</sup> Vesperum nunc adesse mox manifestum reddetur.

tum eunte<sup>1</sup> audimus qui coronam facemque gerens et ebrius incedat.<sup>2</sup> Iam igitur vesperi est. Iterum vero de facibus ultima in parte fabulae monemur,<sup>3</sup> nec indicium ullum obstat quin de eodem vespere agi putemus.

In hac igitur fabula tum cum chorus iam evanescebat duos dies dramatici temporis Aristophanes posuit dum initium incerto tempore prioris diei sumit esse, exitum vesperi diei alterius, noctem inter vss. 626 et 627 intercedere.

## 2. Nubes

Verum iam ante compluribus annis in fabula *Nubibus* idem fecerat tum cum chorus adhuc florebat. Cuius fabulae initium tempore diei certo posuit, exitum incerto.

Incipit enim haec fabula ante primam lucem vicesimo mensis die; cf. enim vss. 16-17:

Στ. . . . . ἐγώ δ' ἀπόλλυμαι  
ὅρῶν ἄγονσαν<sup>4</sup> τὴν σελήνην εἰκάδας.

Lunam scilicet Strepsiades mane experrectus dicit se videre ultimos undecim mensis dies (*εἰκάδας*) inducentem; quo manifestum fit nunc matutinum tempus esse vicesimo mensis die.

Porro multa de nocte fabulam initium capere patefit e vss. 1-5, 8-12, 17, 18-20, 25-8, 32, 35-9, 56-7, 75-9, quibus docemur iam gallum cecinisse, servos et Phidippiden adhuc dormire, lunam conspicí, lucerna opus esse ad tabulas legendas.

Hinc Strepsiade usque in scaena manente actio sine intermissione per vs. 509 decurrit. Dum autem parabasin chorus vss. 510-626

<sup>1</sup> Vss. 1040-1.

<sup>2</sup> Cf. vss. 1041, 1048, 1052, 1089.

<sup>3</sup> Vs. 1194.

<sup>4</sup> Hoc verbum Humphreys (n. ad vs. 17) non “inducentem” interpretatur sed “driving along,” id est, “rapientem,” “urgentem,” quasi “βίᾳ ταχὺ ἔλκουσαν.” Quae significatio ut non alias apud Aristophanem invenitur ita neque usquam in litteris Graecis, si exemplis in Stephani *Thesauro* allatis confidendum est (licet ex quibusdam locis editores huius operis paene eam significationem sumpserint); neque hic, opinor, conjecta esset nisi posthac (vss. 1131 seq.) seriore mensis die versaremur ac de unitate temporis in comoediis conservanda iam praeiudicatum esset.

Similiter R. G. Kent (“The Time Element in the Greek Drama,” in *Trans. of the Am. Philol. Assoc.*, vol. xxxvii, 1906, pp. 39-52) censem; dicit enim p. 48: “at 17 we learn that it is past the twentieth of the month.”

canit Strepsiades in Socratis ludo tempus plusculum moratur, ut e vss. 627–31 conicias:

Σω. μὰ τὴν Ἀναπνοὴν μὰ τὸ χάος μὰ τὸν Ἀέρα  
οὐκ εἶδον οὔτες ἄνδρ' ἄγροικον οὐδένα  
οὐδὲ ἄπορον οὐδὲ σκαιὸν οἰδ' ἐπιλήσμονα  
ὅστις σκαλαθυρμάτι' ἄττα μικρὰ μανθάνων  
ταῦτ' ἐπιλέλησται πρὶν μαθεῖν.

Hactenus vero omnia uno die acta sunt; in reliqua fabulae parte tempus quinque aut sex diebus serius repraesentari e vss. 1131–4 patet:<sup>1</sup>

Στ. πέμπτη, τετράς, τρίτη, μετὰ ταύτην δευτέρα,  
εἴθ' ἦν ἐγώ μάλιστα πασῶν ἡμερῶν  
δέδουκα καὶ πέφρικα καὶ βδελύττομαι,  
εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἐνη τε καὶ νέα.

Strepsiades videlicet secum reputans quantum “tristes Kalendae” absint, dies reliquos digitis enumerans, abs τῇ πέμπτῃ incipit qui dies vicesimus sextus mensis est; initium autem fabulae supra vidimus vicesimo die mane fuisse. Si igitur verbo πέμπτη hunc ipsum diem significat quo nunc versatur sex dies iam praeteriere post fabulae initium.<sup>2</sup> Quod intervallum inter vss. 1114–1131 incidisse necesse est dum chorus iudices aliquid monent; ante enim eos versus nulla prorsus fuerat occasio.<sup>3</sup>

Quocum congruit pallor reliquusque habitus<sup>4</sup> quem Phidippides

<sup>1</sup> Fore ut exitus fabulae intervallo longiore ab initio distaret iam vs. 865 praemonitum erat, ubi Phidippides dolorem paenitentiamque patris sui, vss. 1321 seq. eventuram, praesagitt; ή μὴν enim ait σὺ τούτους τῷ χρόνῳ ποτ' ἀχθέσει. Eo pluris momenti sunt haec verba quoniam plerumque verbo τῆμερον apud Aristophanem minitabundi utuntur (cf. *N* 1307, 1491, *An.* 1045, 1465) etiamsi in nihil minae eventurae sunt (cf. *V* 643, 941, *P* 243, *L* 685, *T* 729, *R* 577, *Pl.* 433, 947 nec non *E* 68, *N* 699, *Ec.* 1021). Semel alibi τῷ χρόνῳ persona dicit minitans, idque de malo post fabulam finitam eventuro (*N* 1242).

<sup>2</sup> Sin — id quod minus est veri simile — a crastino die numerare exorditur quinque dies praeterierunt.

<sup>3</sup> Ergo verbum ἀρτίως vs. 1149 neglegentius de scaenica repraesentatione potius quam de tempore dramatico adhibuit.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1171–6:

Στ. ὡς ἥδοματα σου πρῶτα τὴν χρόνα ιδών·  
νῦν μέν γ' ιδεῖν εἰ πρῶτον ἔξαρνητικός . . .  
. . . ἐτί τοῦ προσώπου τ' ἔστιν Ἀττικὸν βλέπετο.

Cf. etiam quae ipse Phidippides tamquam de longiore in schola mora vs. 1404 ait: γνώμαις δὲ λεπταῖς καὶ λόγοις ξύνειμι καὶ μερίμναις.

in schola Socratica nactus erat. Adde quod satis in sophistico illo ludo didicerat; cf. vss. 1148 seq:

Στ. καὶ μοι τὸν νιὸν εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον  
ἐκεῖνον εἴφ' ὅν ἀρτίως εἰσήγαγες.

Σω. μεμάθηκεν. Στ. εὖ γ' ὡς παμβασίλει Ἀπαιδλη.

Σω. ὥστ' ἀποφίγους ἀνὴρτιν' ἀν βούλῃ δίκην.

Vs. 1302 Strepsiades domum intrat cum filio inter vss. 1302 et 1321 cenaturus;<sup>1</sup> dum intus illi convivantur chorus non ut Phidippides ante illud sex dierum intervallum τῷ χρόνῳ ποτ' elocutus erat sed hodie in malum aliquod Strepsiaden incasurum esse vss. 1307 seq. praedicunt:

κούκ ἔσθ' ὅπως οὐ τήμερον  
λήψεται τι πρᾶγμ' ὃ τοῦ-  
τον ποιήσει τὸν σοφιστήν . . .  
. . . ἔξαλφης λαβεῖν κακόν τι.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Cf. vss. 1212, 1354.

<sup>2</sup> Fr. Krause in dissertatione cui titulus inscriptus est: *Quaestiones Aristophaneae Scaenicae* (Rostochii, 1903), pp. 32 seq. difficultatem hic eruit quae vana mihi videtur esse. Dicit enim: "v. 1131 sqq. videmus nunc esse vicesimum sextum mensis diem, tricesimo pecuniam mutuam datam reddendam aut faeneratores nisi pecuniam accepert in ius Strepsiadēm vocaturos esse. V. 1214 Pasias, v. 1258 Amynias Strepsiadi domum adeunt ut tricesimo mensis die pecuniam repeatant. . . . Ex quibus appetet inter v. 1213 et 1214 tempus quattuor dierum intercedere. . . . Sed difficultatem praeabent v. 1213 et v. 1254 comparati. Quamquam enim inter v. 1213 et 1214 quattuor dies intercessisse modo vidimus, e v. 1354 appetet eundem ac v. 1213 et antecedentibus esse, cum v. 1213 Strepsiades filium in domum ducat ut cum eo cenet, in cenando a filio verberetur. . . . Quattuor dies intercessisse non ante v. 1213 docet v. 1149 vox 'ἀρτίως.' Quae discrepantia ita explicari potest ut Aristophanes temporis veri similitudinem neglexerit." At animo miscere videatur Krause pignoris depositionem atque id quod πρόσκλησις Graece vocatum ante eveniebat quam pignora deponerentur. G. Gilbert enim in opere suo quod vocatur *Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer*, vol. II, pp. 456–7 haec statuit: "Der regelmässige Processgang, welcher bei der öffentlichen und privaten Klagen ziemlich gleichartig war, begann mit der Vorladung (πρόσκλησις) des Beklagten durch den Kläger, welcher dabei gewöhnlich von zwei Ladungszeugen (κλητῆρες) begleitet war. . . .

"Nahm die zuständige Behörde die Klage an, so wurden zunächst die Gerichtsgebühren erlegt. Diesselben hissen bei privaten Rechtshändeln πρυτανεῖα."

Quae recordantibus manifestum fit rem nobis in Nubibus cum προσκλήσει illa esse, non cum πρυτανεῖων θέσει. Pasia enim ideo potissime intrat quo clarius

Cf. etiam 1311 seq.:

οἶμαι γὰρ αὐτὸν αὐτίχ' εὐρήσειν ὅπερ  
πάλαι ποτ' † ἐπεξῆγει †  
εἴναι τὸν νιὸν δεινόν οἱ  
γνώμας ἔναντις λέγειν

ubi iterum verbis πάλαι ποτ' quae ad initium fabulae referuntur Aristophanes videtur intervallum dierum aliquot inter initium exitumque fabulae cogitare, sicut de hoc eventu vs. 865 Phidippides vaticinatus erat:

ἢ μὴν σὺ τούτοις τῷ χρόνῳ ποτ' ἀχθέσει.

Dum chorus vss. 1303–1320 canticum agunt Phidippides paterque rem intra aedes cena<sup>1</sup> sermonibus<sup>2</sup> carminibus<sup>3</sup> rixa<sup>4</sup> proelio<sup>5</sup> inter se gerunt. Utrum autem hoc convivium sero diei fuerit ut consuetudo ferebat necne nihil est indicii.

comperiat quid in animo habeat Strepsiades, ac nisi debitam pecuniam solvere constituerit προσκαλούμενος. Cf. enim vss. 1243–4:

ἀλλ' εἴτ' ἀποδώσεις μοι τὰ χρήματα εἴτε μή  
ἀπόπεμψον ἀποκρινάμενος.

Et vss. 1217–25, praecipue vss. 1218: Ἐλκω σὲ κλητεύσοντα et 1220–2:

ἀτάρ οὐδέποτε γε τὴν πατρίδα καταισχυνῶ  
ζῶν, ἀλλὰ καλοῦμας Στρεψιάδην . . .  
ἐς τὴν ἔνην τε καὶ νέαν.

Procul dubio in tempus futurum spectant haec verba; cf. etiam ea quae Pasia vs. 1242 minatur: ἢ μὴν σὺ τούτων τῷ χρόνῳ δώσεις δίκην, quasi modo initium fecerit Strepsiadae lacessendi. Necdum τὰ πρυτανεῖα depositisse Pasiam e vss. 1254–5 cognoscitur:

Πα. ἄπειμι, καὶ τοῦτ' ἵσθ' ὅτι  
θήσω πρυτανεῖ' ἢ μηκέτι ζῷην ἔγω.

Nunc igitur προσκαλέται Strepsiaden posthac τὰ πρυτανεῖα depositurus. Nec minus certe Amynia de προσκλήσει non de pignorum depositione agit; vss. 1277–8 enim sic monet Strepsiaden:

σὺ δὲ μὴ τὸν Ἐρμῆν προσκεκλήσεθαί γέ μοι (δοκεῖς)  
εἰ μὴ ποδώσεις τάργύριον.

Cum igitur pignora tricesimo mensis die minati essent se posituros (cf. vss. 1179–80), ante autem quam id facerent προσκαλέσθαι Strepsiaden deberent, id quod nunc faciunt, nihil causae est quin credamus adhuc vicesimum sextum esse mensis diem.

<sup>1</sup> Cf. vs. 1354.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1373–5.

<sup>2</sup> Cf. vss. 1357–70.

<sup>5</sup> Cf. vss. 1375–6, 1379, 1385–90.

<sup>3</sup> Cf. vss. 1371–2.

Quod reliquum fabulae est sine intermissione ad finem decurrit.

Fabula igitur Nubes quae initium ante primam lucem vicesimi mensis diei cepit, intervallo sex dierum vss. 1115–30 dum parabasis altera cantatur interiecto, in incertum tempus — fortasse tamen vesperum — vicesimi sexti mensis diei desinit.

### 3. *Lysistrata*

Nubium similis est fabula *Lysistrata*.

Initium enim capere videtur haec fabula ante solis ortum;<sup>1</sup> cf. vss. 13–15:

εἰρημένον δ' αὐτᾶς ἀπαντᾶν ἐνθάδε  
βουλευσομέναισιν οὐ περὶ φαιδλον πράγματος  
εὖδουσι κούχ ἥκουσιν,

vs. 18: ἡ δ' οἰκέτην ἥγειρεν,

vs. 72: μόλις γὰρ εὑρον ἐν σκότῳ τὸ ζώνιον,

vss. 327 seq.:

Χοῖν. νῦν δὴ γὰρ ἐμπλησαμένη τὴν ὑδρίαν κνεφαίᾳ  
· · · φέροντος' ὕδωρ βοηθῶ.

Tempus autem serius eo quod ὅρθρος nominabatur<sup>2</sup> vss. 59–60 poeta ioculariter docet se in animo habere:

<sup>1</sup> Potius quam post solis ortum, id quod van Leeuwen, ed. 1903, proleg. p. ix censet.

<sup>2</sup> Congruens crediderim hoc loco verba ὅρθρος et ἔως quae aliquotiens in hac dissertatione versabuntur semel definire.

"Ορθρος igitur et ἔως sic a Phrynicho, *Soph. Praep.* (in Bekk. *Anecd. Gr.* I. p. 54) definiuntur: ὅρθρος μὲν γάρ ἐστιν ἡ ὥρα τῆς νυκτὸς καθ' ἣν ἀλεκτρύνεις ἄδονοις· ἄρχεται δὲ ἐνάτης ὥρας καὶ τέλευτῇ εἰς διαγελῶσαν ἡμέραν· τεκμήριον δέ· ὅρθρεοθαί γάρ καλούσιν οἱ Ἀττικοὶ τὸ λύχνῳ προσκείσθαι πρὶν ἡμέραν γενέσθαι· . . . ἔως δὲ τὸ ἀπὸ γελώσης ἡμέρας ἄχρις ἥλιον ἔξεχοντος διάστημα· . . . μέσαι δὲ νύκτες· καὶ τούντευθεὶς ἀλεκτρύνεις ἄδονοις, διέγεται ὅρθρος. Et Hesychius dicit: ἔως· ἡ πρὸ τῆς τοῦ ἥλιον ἀνατολῆς ὥρα.

Herodotus quidem 3, 104 de sole iam ἔωθεν aliquamdiu fulgente scribit: θερμότατος δέ ἐστι ὁ ἥλιος τούτουσι τοῖσι ἀνθρώποισι (τοῖς Ἰνδοῖς sc.) τὸ ἔωθινον, οὐ κατάπερ τοῖσι ἄλλοισι μεσαμβρίης ἀλλ' ὑπερτέλας μέχρι οὐδὲ ἀγορῆς διαλίσσοις . . . ἀποκλιναμένης δὲ τῆς μεσαμβρίης γίνεται σφι ὁ ἥλιος κατάπερ τοῖσι ἄλλοισι ὁ ἔωθινός.

Attici tamen Aristophanis fere coaequales sicut a Phrynicho notatum est verbo ὅρθρος tempus noctis quo primum diluculum fit significasse videntur, verbo ἔως tempus modo ante solis exortum. De Thucydide qui pluries ἄμα ἔω res geri scribit difficile est affirmare nisi quod ὅρθρον ante ἔω ostendit 6, 101, 3: αὐτοὶ δὲ περὶ ὅρθρον καταβάντες . . . αἰρόντων ἄμα ἔω . . . Cf. autem Plat. *Leg.* 808C et 951D

. . . ἀλλ' ἐκεῖναι γ' οἰδ' ὅτι  
ἐπὶ τῶν κελήτων διαβεβήκασ' ὅρθριαι.

"Εωθεν igitur incipere hanc fabulam non est veri dissimile.

ubi apparet ὥρθρος paulum diei habere, minimum tamen; ita *Prot.* 310 A seq., 311 A; *Critonis* 43 A, 44 A; *Phaed.* 59 D. Aeneas quoque Tacticus 6, 6 cum scripserit: πέμπειν δὲ ἐκ τῆς πόλεως τοὺς ἡμεροσκόπους ὥρθρον ή ἐτι νυκτός, ὥρθρον aliquid diei complecti facit.

Ipse autem Aristophanes verbo ὥρθρος septies (forsitan octies) utitur, nempe *A* 256, *V* 216, 772? *Av.* 496, *L* 966, 1089, *Ec.* 20, 462; verbo ὥρθροι sexies: *Av.* 489, *L* 60, *Ec.* 283, 377, 526, 741; verbo ἔως ter: *V* 366, *Ec.* 85, 312; verbo ἔωθεν septies: *A* 278, *N* 1195, *Av.* 147, 1287, *T* 375, 494, *Pl.* 1121; verbo ἔωθινός bis: *A* 20, *T* 2. Ex quibus locis etsi plerique nihil certi afferunt tamen e sequentibus enucleari potest ὥρθρον apud Aristophanem multa nocte fuisse postquam galli cecinerunt verum cum adhuc sidera lucent; ἔω seriorem fuisse quam ὥρθρον sed ante solis ortum dum adhuc tenebricosum est. *Vesp.* enim vs. 216 dicit Sosias:

ἀλλὰ νῦν γ' ὥρθρος βαθύς·

cui respondet: νὴ τὸν Δλ', δψὲ γοῦν ἀνεστήκασι νῦν·  
ώς ἀπὸ μέσων νυκτῶν γε παρακαλοῦσ' ἀεί.

Paulo postea vero (vs. 230) lucernis ardentibus choreutae introeunt (cf. vss. 246, 249-251, 255, 262); adhuc Bdelycleon dormit (cf. vs. 337), adhuc tenebrae sunt (cf. vss. 245, 276). Vs. 366 demum audimus: ἔως γάρ ὡς μελίττιον, et mox (vs. 414) luce crescente pueri lucernas quibus videlicet opus nunc non est auferunt (cf. vss. 408 seq.). Ex *Av.* 489 seq. et 495-6 conicere licet cum gallus cecinerit tempus ὥρθρον esse diurnorumque laborum initium, attamen (cf. *Ec.* 739-41) ante ecclesiae statum tempus.

Sed etiam certius de utroque tempore poeta noster statuere nos sinit; nam *Ec.* 20 dicto: καίτοι πρὸς ὥρθρον γ' ἔστιν vss. 82-3 monemur sidera etiam nunc fulgere:

Πρ. ἀλλ' ἄγεθ' ὅπως καὶ τάπι τούτοις δράσομεν  
ἔως ἔτ' ἔστιν ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανόν.

Cf. etiam *Ec.* 282-4, 290-1, 377, 526-7.

Atque ἔω concludimus ex *Ec.* 20-1, 82-5 τὸν ὥρθρον haud longo intervallo sequi.

Cf. *Ec.* 20-1: καίτοι πρὸς ὥρθρον γ' ἔστιν · ή δ' ἐκκλησία  
αὐτίκα μάλ' ἔσται . . .

*Ec.* 82-5: ἀλλ' ἄγεθ' ὅπως καὶ τάπι τούτοις δράσομεν  
ἔως ἔτ' ἔστιν ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανόν·  
ἡκκλησία δ' εἰς ἦν παρεσκευάσμενα  
ἡμεῖς βαδίζειν ἔξ ἔω γενήσεται.

Et paulo postea bis de ἔω velut de tenebris loquitur:

*Ec.* 312-16: ἐπεὶ πρὸς ἔω νῦν γ' ἔστιν, η δ' οὐ φαίνεται.  
ἔγώ δὲ κατάκεμαι πάλαι . . .

Hinc usque ad versum 614 ubi id quod pro parabasi<sup>1</sup> cantatur initium capit omnia inter se ita cohaerent ut iudicandum sit nullum adhuc longum intervallum fuisse. Cf. etiam vs. 469: αὐδ' ἡμᾶς ἔλουσαν ἀρτίως, qui ad vs. 381 spectat.

Verum aliquot sunt indicia dum haec quasi parabasis cantetur dies maximum quinque Aristophanem sumere praeterlapsos esse.

Iam primum vss. 706 seq. monemur eo perventum esse taedi ut feminae inquietae factae arcem deserere conentur;<sup>2</sup> quin etiam Lysistrata de aliquot earum conatibus edisserit vss. 720-5, quorum ultimus hesterno die factus sit; cuncta ergo videntur in summo esse discrimine quia tam diuturnum fit hoc discidium.

Nec non aliquot noctes intervenisse ut in vss. 758-61 sumitur<sup>3</sup> ita in vss. 764-6 planius ostenditur:

. . . ἀργαλέας γ' εὐ οἶδ' ὅτι  
ἄγονσι νύκτας ἀλλ' ἀνάσχεσθ' ὥγαθαι,  
καὶ προσταλαιπωρήσατ' ἔτ' οἰλίγον χρόνον.

<sup>1</sup> Parabasis similia videntur esse haec verba (vss. 648 seq.):

ἄρα προθέλω τι χρηστὸν τῇ πόλει παρανέσαι;  
εἰ δ' ἐγώ γυνὴ πέφυκα τοῦτο μὴ φθονεῖτε μοι  
ἥν ἀμείνω γ' εἰσενέγκω τῶν παρόντων πραγμάτων . . .

<sup>2</sup> Cf. vss. 708-9, 715, 718 seq.

<sup>3</sup> Γυγ. ἀλλ' οὐ δύναμαι 'γωγ' οὐδὲ κοιμᾶσθ' ἐν πόλει  
ἔξ οὐ τὸν ὄψιν εἰδον τὸν οὐκουρὸν ποτε.

Γυγ. ἐγώ δ' ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν' ἀπόλλυμα  
ταῖς ἀγρυπνίαισι κακαβαζούσων ἀεί.

Cf. etiam vss. 718-9: ἐγώ μὲν οὖν αὐτὰς ἀποσχεῖν οὐκέτι  
οἴα τ' ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν διαδιδράσκουσι γάρ,

726-7: πάσας . . . προφάσεις . . . Θλούσιν.

763-4: ποθεῖτ' ίσως τὸν ἄνδρας· ἡμᾶς δ' οὐκ οἴει  
ποθεῖν ἐκείνους;

729-30: de tineis lanam carpentibus.

τὰς ἐμβάδας ζητῶν λαβεῖν ἐν τῷ σκότῳ  
καὶ θοιμάτιον· ὅτε δὴ δ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν  
οὐκ ἔδυνάμην εὑρεῖν . . .

Eg. 321: ή πανταχοῦ τοι νυκτός ἐστιν ἐν καλῷ;

[Quae cum ita sint εἴλη κατ' ὄρθον V 772 legendum esse videtur potius quam εἴλη  
κατ' ὄρθρον.]

Et postquam Cinesias vs. 829 introiit denuo expressiusque de hoc intervallo certiores sumus. Cf. vss. 865-9:

Κι. ὡς οὐδεμίαν ἔχω γε τῷ βίῳ χάριν  
ἔξ οὐπερ αὕτη ἔγγλθεν ἐκ τῆς οἰκίας·  
ἀλλ' ἄχθομαι μὲν εἰσιών, ἔρημα δὲ  
εἶναι δοκεῖ μοι πάντα, τοὺς δὲ σιτίους  
χάριν οὐδεμίαν οἴδ' ἐσθίων,

et 894-9, praesertim χρόνον τοσοῦτον (899), et διὰ χρόνου (904); nec non vss. 885-6:

Κι. ἐμοὶ γάρ αὕτη καὶ νεωτέρα δοκεῖ  
πολλῷ γεγενῆσθαι κάγανώτερον βλέπειν,

praecipue autem vss. 880-1:

Κι. . . . οὐδὲν ἐλεῖς τὸ παιδίον  
ἄλουτον δν κάθηλον ἔκτην ἡμέραν;

Alia quoque argumenta praesto fiunt post praeconis Lacedaemonii introitum (vs. 980). Nam excepto tempore quo opus erat et Lampito in Laconiam post vs. 244 et praeconi inde Athenas pervenire, ea quae praeaco de Lacedaemoniorum statu vss. 995-1006 dicit non nisi aliquanto temporis intervallo apta sunt.<sup>1</sup>

“At quonam modo hoc cum chori perpetua praeSENTIA congruit? Si enim chorus sine intermissione adest nonne credendum est unum tantum dramatici temporis diem a poeta sumi?”

Haud mea nunc<sup>2</sup> refert congruentiam istam exsistere probare; sed cum nec per iocum (quoad rem temporalem attinet) verum serio, nec semel vel lapsu quodam sed identidem tamque studiose nos de temporis processu monuerit poeta, facere non possum quin statuendum rear hoc intervallum in fabula eum exstare voluisse.

Post hoc quinque dierum intervallum reliqua fabulae pars duabus intercedentibus intervallis minoribus, dum vss. 1014-71 praeaco Spartam volat (ut ipsius verbo utar) legatique Athenas festinant

<sup>1</sup> Tanto tamen intervallo hoc loco statuto haud similem speciem praebent ea quae vss. 1009-1072 sequuntur; cum enim Spartam praeaco vs. 1013 remittitur per celeritatem eius ludit Aristophanes, nec postea (vs. 1072) legatorum adventu iustum sentimus fuisse intervallum. Cf. p. 58.

<sup>2</sup> Hanc rem pp. 20 seq. tracto.

et vss. 1189–1215 Lacedaemonii Atheniensesque in arce convivantur,<sup>1</sup> ad finem sero<sup>2</sup> huius diei pergit.

Haec fabula igitur mane exorsa, intervallo maiore circa medium fabulam constituto, sexto demum die in vesperum finitur.

#### 4. *Acharnenses*

Primae quoque servatarum Aristophanis comoediarum unitas temporis videtur deesse.

Incipit quidem fabula *Acharnenses* mense fere Posideone<sup>3</sup> certe mane paene tempore ecclesiae usitato; Dicaeopolis enim vss. 19–21:

ώς νῦν, inquit, ὅπότ' οὕσης κυρίας ἐκκλησίας  
ἔωθινῆς ἔρημος ἡ πνῦξ αὐτῇ,  
οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι.

<sup>1</sup> Cf. vss. 1182–8, 1223–38, praesertim εὐωχημένοι (1224), συμπόσιον (1225), πόδοι (1237).

<sup>2</sup> Cf. vss. 1217–8: . . . μῶν ἐγὼ τῇ λαμπάδι  
ὑμᾶς κατακαβω;

<sup>3</sup> Vss. 201–2 enim pronuntiat Dicaeopolis:

ἐγὼ δὲ πολέμον καὶ κακῶν ἀπαλλαγεῖς  
ἄξω τὰ κατ' ἄγροὺς εἰσών Διονύσια,

posteaque (vss. 237–79) re vera has ferias celebrat, quas constat in mensem Posideonem plerumque incidisse in Eleusi autem in Gamelionem (cf. A. Mommseni *Feste der Stadt Athen* pp. 349 seq., praesertim p. 351 n. 5, p. 352 n. 2). Vix autem pro comperto habere possumus Aristophanem verbis τὰ κατ' ἄγροὺς Διονύσια fixum statutumque mensis certi tempus significare voluisse praecipue quod loquitur agitque Dicaeopolis ut non statas ferias verum inopinatas ac subito casu oblatas captatae que ipse solus privatum celebraturus; perinde enim ac natura fert bello repente et mirum in modum liberatus gratias Dionysio feriis usitatis etiam extra ordinem paratis agere cupit. Aliter autem de feriis Χοροὶ posthac (vss. 961 sqq.) agitur; praeco enim nuntiat, flamen vocat, iustum feriarum tempus adesse appetat.

Sed concessum esto vix accurate mensem ipsum Posideonem Aristophanem in prima fabulae parte necessario spectavisse; nec tamen tam frequenter verbis τὰ κατ' ἄγροὺς Διονύσια vel similibus (cf. vss. 195, 202, 247, 250) auditis spectatores opinor de alio tempore cogitasse quam fere hiemali quo rustici per pagos Dionysum propitiari consuerant. Nam etsi de subito has ferias agere a Dicaeopolide constitutum erat tamen tempus ad ferias aliquatenus idoneum esse veri similius est; neque enim Panathenaea hieme nec rustica Dionysia aestate Atheniensis, putares, quaquam de causa egisset. Non igitur Posideonem mensem ipsum iudico prima in fabulae parte necessario esse verum aliquam hiemis non multo seriore partem.

Altero autem loco<sup>1</sup> maturum semper se esse autumat. Merry contra et van Leeuwen et Starkie,<sup>2</sup> versu 40<sup>3</sup> adductis, tempus fere meridianum esse placet. Auditoribus vero quid tempus dramaticum definit nisi primum temporis indicium? Cum Athenienses matutinis comitiis consueti verba ὡς νῦν δπότι οὖσης κυρίας ἐκκλησίας ἔωθινῆς audivissent quid loci dubitationi datur quin statim tempus matutinum esse in fabula senserint?

“At quid verbo μεσημβρινόι vs. 40 faciendum?” Num quis superlationis ius Aristophani denegatum it? Uno verbo πάλαι in fabulis eius investigato<sup>4</sup> cognoscetur quam saepe καθ’ ὑπερβολὴν scripserit. Dicaeopolis igitur mea sententia tarditate praesidum valde fatigatus et stomachatus plus ut fit quam verum vs. 40 exclamavit. Tempus itaque matutinum esse initio fabulae iudico. Illud tamen concedendum videtur, serius quam par erat fuisse adventum praesidum.

Quia hinc usque ad vs. 203 Dicaeopolis in scaena manet, quamquam inter vss. 132 et 175 Amphitheus Spartam profectus in dutiis pro Dicaeopolide pactis inde Athenas revertitur, nullum adhuc temporis intervallum est.<sup>5</sup>

Parvum autem incidit intervallum dum chorus vss. 204–36 parodicum canticum agit, Dicaeopolide intra domum suam sacra parante, filiam servosque accitos docente; dein pompa in scaena instituta in iurgium inopinatum cum Acharnensibus incidit nec a scaena decedit donec vs. 625 macello edicto domum se recipit.

Inter parabasin (vss. 626–718) nuntio Megara Thebasque perlato Megarensis quispiam Athenas profectus est; interea Dicaeopolis

<sup>1</sup> Vss. 28–9: ἐγώ δ' ᾧδι πρώτιστος εἰς ἐκκλησίαν νοστῶν κάθημαι.

<sup>2</sup> Cf. Merrii ed. p. 3 notarum et nn. in vss. 20, 40; Van Leeuwenii ed. praef. p. 7, Starkii “Analysis,” p. xxx, et n. p. 6, col. 1; sed. n. in vs. 40 adicit: “but it is obvious that there is an exaggeration here.”

<sup>3</sup> ἀλλ’ οἱ πρυτάνεις γὰρ οὐτοι μεσημβρινοί.

<sup>4</sup> Cf. pp. 3 n. 3, 6 nn. 2 et 6.

<sup>5</sup> Roland G. Kent, *Trans. Am. Philol. Assoc.* 37 (1906), pp. 39–52 scribit: “The dismissal of the assembly at 173 leaves Dicaeopolis alone on the stage; this, with the consequent stoppage of the action of the play, gives the opportunity for the lapse of time necessary for Amphitheus’ journey.” Cf. vero quae infra p. 52 et n. 2 disputatur.

in stela foedus suum incidendum<sup>1</sup> curarat. Quia autem modo ante parabasin vss. 623-5 macellum Dicaeopolis edixit, modo post eam vss. 719 seq. terminavit, impedimur quominus multum temporis interim interiectum esse arbitremur.

Cippis autem macelli positis vix vs. 728 abiit ut columnam foedus suum testaturam in publico collocet cum Megarensis in scaenam prodit. Qui inter se locuti vs. 835 demum e scaena in diversum iter abeunt.

Quae hactenus acta sunt uno die continentur;<sup>2</sup> sed post chori carmen (vss. 836-59) quod reliquum fabulae est mense Anthesterione, duobus fortasse mensibus<sup>3</sup> serius quam erat initium fabulae, Aristophanes agi finxit.

Feriae enim Χόες<sup>4</sup> nunc instant, nam vss. 959 seq. Lamachi

<sup>1</sup> Stelam iam ante Dicaeopolidis introitum (vs. 719) paratam esse vss. 727-8 argumento sunt: ἐγώ δὲ τὴν στήλην καθ' ἣν ἐσπεισάμην μέτειμ'. Utrum postea Dicaeopolis hanc columnam secum referat necne nihil ad rem; hoc quidem loco Aristophanes sumit eam intra vss. 626-718 inscriptione esse instructam.

<sup>2</sup> A. Mommsen contra (*Feste der Stadt Athen*, p. 388, n. 4), censem iam vss. 719 seq. ad mensem Anthesterionem temporis indicia spectare; χοῖρος enim μυστικὰ (vss. 747, 764) ad mysteria parva quae hoc mense agi pertinere, et τοὺς ἀγορανόμους vss. 723-4 ideo poetam intulisse quia huius nominis officiales ferias χοῖρος administraverint, id quod inscriptione epheborum anni p. C. 192-3 (*C. I. A.* III, i, p. 370, no. 1160) demonstrari ( . . . ἀγορανόμοι . . . ἐπετέλεσαν τὸν Κιθρόος [sic]). Cui sententiae vix inducor ut assentiar; neque enim una recentioris aetatis inscriptione consuetudinem annis sescentis priorem probari posse reor nec aoristo ἐπετέλεσαν plus significari quam quod semel illud evenit. Atque macello instituto, in quo οἱ ἀγορανόμοι procul dubio cottidie intererant (cf. Lys. *Orat.* 22, 16; Arist. *'Αθ. πολ.* cap. 51), nonne iam satis causae est cur ἀγορανόμους Dicaeopolis nominet? Quoad autem χοῖρος μυστικὰ et parva mysteria attinet, animadvertisendum est nec de his mysteriis quicquam memorari et Lobeckio quidem (*Aglaoph.*, p. 85) Hesychium secuto persuasum esse verbum μυστικὸς de macilenta bestia usurpatum hoc loco esse.

<sup>3</sup> Cf. quae de initii fabulae tempore supra p. 16 n. 3 disputata sunt.

<sup>4</sup> Quae Anthesterionis duodecimo die agebantur; cf. A. Mommseni *Feste der Stadt Athen* pp. 384 seq. Hæ feriae spectatorum mentibus fere perpetuo inde a versu 961 obversantur; cf. enim vss. 961 (ἐς τὸν Χοᾶς), 1000-17 (ἀκούετε λέψ· κατὰ τὰ πάτρια τὸν Χοᾶς πίνειν κτέ.), 1067 seq., praesertim 1068 (ἐς τὸν Χοᾶς), 1076 (ὑπὸ τὸν Χοᾶς γὰρ καὶ Χιτρόος), 1086 (τὸν χοᾶ), 1133 (τὸν χοᾶ), 1203 (τὸν . . . χοᾶ), 1211 (τοῖς Χοστί).

Quacum temporis ratione consentiunt indicia temporis vss. 1075 (κάπειτα τηρεῖν νειφόμενον τὰς ἑσπολάδας) et 1141 (νελφει. βαβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα) et 1146 (σοὶ δὲ βιγῶν καὶ προφυλάττειν) reperta.

servus Dicaeopolin idcirco adit ut cuppedines in has ferias coemat; immo hoc ipso die celebrantur, postquam enim vss. 1000-2 praeco nuntiavit hodie fore ut bibendo more maiorum decerneretur Dicaeopolis qui vss. 1003-7 in hoc certamen constituit descendere cibo cocto omnibusque rebus ad cenam et potionem necessariis paratis,<sup>1</sup> post vs. 1142 egressus, in fine demum fabulae in scaenam ebrius cum amicis duabus reversus ut victor certaminis *τὸν ἀσκόν* flagitat.

Quo diei tempore novissimam fabulae partem poeta animo finxit fieri minus certe definiri potest; e vss. 1142, 1145, 1147-49 sub vesperum esse conicias, id quod nonnullis Aristophanis comoediis convenit. Verum nihil est certi.

In hac vero ulteriore fabulae parte unius potioris intervalli argumenta sunt aliquot; dum enim Dicaeopolis abest ut potionis illi intersit, Lamachus (vs. 1143-73) in latrones Boeotios in fines Atticos<sup>2</sup> impetu facto vulneratus Athenas rursum se recipit inque scaenam vs. 1190 servis, credo, fultus intrat. Hoc tamen intervallo interiecto non ultra fines huius diei ultima pars fabulae tenditur.

Huius igitur comoediae nec prior pars (vss. 1-835) unum videtur diem excedere neque pars posterior (vss. 860-1234); verum inter has duas partes spatium longius, — fortasse duos fere menses, — incidere Aristophanes fecit. Nam cum in priore parte Dionysia rustica agenda curarit et in posteriore ferias Xoās, tam aperte tem-

<sup>1</sup> Cf. vss. 1005-7 et seq., 1088-93, 1096 seq.

<sup>2</sup> Cf. vss. 1073-7:

ιέναι σ' ἐκέλευν οἱ στρατηγοὶ τῆμερον . . .  
. . . κάπειτα τηρέν νεφόδουν τὰς ἑσθολάς.  
ἀπὸ τοὺς Χοᾶς γάρ καὶ Χίτρους αὐτοῖσι τις  
ἥγγαιε ληστὰς ἐμβαλέιν Βοιωτίους.

Cf. etiam vss. 1174 seq. Van Leeuwenum (n. in vs. 1075) secutus Phylam aut Deceliam versus arbitror poetam sibi finxisse Lamachum profectum esse — iter stadiorum maximum centum viginti vel miliariorum Anglicorum fere tredecim, minimum fortasse stadiorum quinquaginta, mil. Anglic. sex, — ubi latrones e Boeotia incursum facturos e montium situ existimaveris. Porro autem Phylam potius quam Deceliam Aristophanem cogitavisse iam vss. 1022-3 argumento sunt ea quae Δερκέτης, ipse Φυλᾶς (cf. vs. 1028) queritur: . . . ἐπετρίβην enim dicit ἀπολέτας τῷ βόε. Nam

. . . ἀπὸ Φυλῆς θλαβον οἱ Βοιώτιοι.

poris mutationem indicat ac si nostratum quis in fabula primo ferias quas "Christmas" appellamus etiam si non a.d. viii Kal. Ian. sed extra ordinem repraesentet dein eas quibus nomen "Easter" inditum est. Et mirum fuisset si Athenienses qui etiam plus quam nos festis diebus intererant<sup>1</sup> Dionysia rustica et Χοᾶς in eundem diem incidere etiam choro perpetuo in scaena praesente mentibus finxissent.

Ex undecim igitur Aristophanis fabulis tres vidimus conceptis verbis diem unum excedere, videlicet *Nubes*, *Lysistratam*, *Plutum*; quartam — *Acharnenses* — paene aequi plane, quia in ea duae notissimae et temporibus notis constitutae feriae agerentur neque fortuitis verbis ac temere hoc significaretur sed etiam atque etiam nominativi citarentur hae feriae.

Non sum ignarus quempiam fortasse contra esse dicturum aut Aristophanem omnino temporis dramatici neglegentem fuisse et tantum iocosum<sup>2</sup> aut quoniam chorus perpetuo in scaena adsit omnia quae ultra diem unum videantur extendere actionem ita explicanda esse ut temporis indicia cum chori praesentia congruant.<sup>3</sup>

Quarum opinionum ad neutram possum me asciscere; neque enim, id quod posthac (pp. 56 seq.) spero patefactum iri, Aristophanes ita rem temporalem neglebat, et tantum abest ut temporis

<sup>1</sup> Cf. [Xen.] Ἀθ. πολ. 3, 2: πῶς γὰρ ἀν καὶ οὐτοί τε εἰεν [sc. Ἀθηναῖοι], οὐστινας πρῶτον μὲν δεῖ ἐόργασαι ἐόργασ δόσας οὐδέμια τῶν Ἐλληνίδων πόλεων . . .; Ar. *Nub.* 299–310: χθὼνα παλλάδος . . . οὐ σέβας ἄρρήτων ἱερῶν . . . καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώτατα, εὐστέφανοι τε θεῶν θυσίαι θαλίαι τε, παντοδαπαῖς ἐν ὥραις.

<sup>2</sup> Cf. Fr. Krausi op. p. 10 n. 2 cit. pp. 9–10, 32 seq., 40, 41: J. van Leeuweni n. in *Lys.* vs. 725, et *Thesm.* vss. 655 seq.: "neglegentius autem — more suo — versatur in temporum ratione constituenda"; H. Richardsi n. in Class. Rev. 26 (1912) p. 223, ubi de Rogersi Eccles. editione scribit: "At 705 he makes perhaps too much of the subsequent remark that five days have gone by; that is hardly more than a joke. With the chorus remaining in the orchestra the thing cannot be."

<sup>3</sup> Cf. ea quae Richards l. c. dicit. Eodem videntur spectare ea quae Felsch, *Quibus Artificiis Adhibitis Poetae Tragici Graeci Unitates Illas et Temporis et Loci Observaverint* (Vratislaviae, 1906), p. 48 de unitate temporis apud Euripidem observata statuit: "Tamen Euripidem etiam in ceteris fabulis componentis legi illi paruisse patet, etiamsi illud quidem e verbis ipsis non cognoscitur. Nam, ne in altera fabulae parte alius dies esset atque in altera, ante omnia chorus obsistebat, quippe qui per totam actionem in scaena remaneret." Atqui hoc est sumere id quod probare conatur.

indicia cuncta chori praesentiae subiungere necesse sit ut potius chori Aristophanem fuisse neglegentem sit confitendum. Nec tamen solus Aristophanes; nam etiam tragicos choreutarum paulum miseritos esse aequa constat. Perdurum enim licet sit choreutas uno in loco dies aliquot perdurare cogere, non facile ut in Euripidis *Electra* a primo mane usque in serum diem hoc faciunt.

Praeterea a maioribus traditum erat chorū in comoediis adhibere;<sup>1</sup> unitatem temporis servare traditum esse haud perinde constat, nec primas partes chorū agere umquam quod sciamus neque Aristophanes nec priores comicī Attici sinebant.<sup>2</sup>

Quin etiam priscos tragicos et Aeschylum ipsum<sup>3</sup> et fortasse alios eiusdem aetatis tragicos<sup>4</sup> imitabatur qui haud semper unius diei modum fabulis suis posuerant.

Porro eo facilius in comoedia quam in tragedia unitas temporis illa neglegi poterat quo chori partes facilius natura a re dramatica solvebantur; ut trifariam evidens redditur. Nam primum cum in parabasi tum saepe in aliis canticis re dramatica omnino pae-

<sup>1</sup> Cf. F. M. Cornford *The Origin of Attic Comedy* (1914) praesertim p. 106 seq.

<sup>2</sup> Non enim e choro solo antiquitus exorsa videtur esse comoedia. Cf. enim ea quae F. M. Cornford (*The Origin of Attic Comedy*, summatim p. 103 complura complectens) dicit: comoediā nempe Atticā e ritu phallico initium duxisse antiquissimo in quo et pompam et sacrificium et phallicum locum tenerent. Cum autem haud multum lucis aut ex eis quae Aristoteles *Poet.* p. 1449<sup>a</sup> seq. scribit ducere possimus aut ex forma phallīci in Ar. *Ach.* vss. 237-279 (curtum enim e natura fabulae id esse arbitrareri), incommodo magnopere est quod Chionidae Cratetis Magnetisque et aliorum eius aetatis comicorum fabulae non supersunt; primis enim illis salvis facilius sine dubio de ortu auctuque comoediae Atticae iudicaremus.

<sup>3</sup> Cf. Arist. *Poet.* 1449<sup>b</sup>13 seq.: ή μὲν (sc. τραγῳδία) δτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περιόδον ἡλίου εἶναι ή μικρὸν ἔξαλλάττειν, ή δὲ ἐποποίηα ἀβριστος τῷ χρόνῳ, καὶ τούτῳ διαφέροντων· κατοι τὸ πρῶτον δμοῖς ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐπολον καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν. Et de Aesch. *Eumen.* cf. Guil. Felschi op. p. 20 n. 3 cit. p. 14.

<sup>4</sup> Nam ut saepius nostra aetate monemur, non legem verum consuetudinem poetarum et conatum Aristoteles lectoribus suis proponebat; et tamen Felsch qui ipse nos de hoc in prima pagina tractationis sua monuit voce “lex Aristotelica” vel eodem pertinentibus vocabulis fere perpetuo deinde uititur; ita Polczyk passim: cursim enim haec duo opera retractanti sedeciens in oculos mihi haec similiaque vocabula obviam fiunt (cf. Felschi op. pp. 3, 6, 7, 14, 20, 22, 48, 56, 57 bis; Polczyki op. pp. 2, 4, 5, 12, 13, 15).

terita ad spectatores ipsos vel de spectatoribus nonnullis choreutae canebant. Deinde non erat vetitum in duas partes choreutas divisos inter se actionem a iusta re dramatica absolutam agere, quem ad modum in *Lysistrata* senes anusque dum mulieres Atticae alienigenaeque pacem inter Athenienses et Lacedaemonios moliuntur ipsi inter se et pugnant et in gratiam rursus redeunt.<sup>1</sup> Postremo accedit quod ut semel chorus scaenam intraverat, etsi primo rei dramaticae intime conexus, postea tamen hanc tam artam coniunctionem plerumque amittebat. Cur enim chorus Acharnensium incessit? Nempe ut Dicaeopolin ulciscerentur,<sup>2</sup> at cur post paenitentiam suam, cum Dicaeopolis rem cum Megarensi, Boeotio, delatore, aliis gerebat, illi infirmi in scaena manserunt? Propterea quod usitatum apud comicos fuit chorus usque ad finem fabulae adesse. In *Nubibus* quoque chorus ut conspectum suum sacerdoti illi praebeat nec non ut Strepsiades cum deabus novis coram sermocinetur in scaenam vocatur;<sup>3</sup> sed postquam semel ἐς λόγον ξυνεγένετο senex et consuluit eas<sup>4</sup> omnia complerunt in quae sunt arcessitae; sed cum nondum in medium fabulam processum sit nubes illae diutius morantur. Atque in *Vespis* chorus iudicum dum ad tribunal mane praeterit ut magnum aliquid dijudicetur<sup>5</sup> Philocleonem socium evocat; cur tamen postea, quando illo domi remanere coacto certamen inter patrem et filium ipsorum arbitrio commissum iudicatum est, ab iudicio tam caro sese abstineant causam poeta non profert; contra iudicium in quod tam mane Cleone iubente magnam illam causam iudicatur ibant nunc prorsus obliviscuntur priusquam dimidium fabulae actum est. Nec non in *Pace*, opere in quod choreutae acciti sunt perfecto, quin etiam ut in agros suos discederent vss. 551–5 ita moniti:

<sup>1</sup> Cuius histrionum et chori disiunctionis dramaticae vestigium in *Lys.* vss. 700 seq. reperitur: quamquam enim histriones de rebus iam aliquot diebus ante gestis vss. 706 seq. (cf. pp. 14 seq.) loquuntur semichorus seminarum de se vss. 700 seq. affirmat:

ώστε κάκθεις θήκατη ποιοῦσα παιγνίαν ἔγω  
τοῖσι παισὶ τὴν ἐταίρων ἐκάλεστ' ἐκ τῶν γειτόνων.

<sup>2</sup> Cf. vss. 177–185, 204 seq.

<sup>3</sup> Cf. vss. 250–3, 265–6.

<sup>4</sup> Vss. 427–75.

<sup>5</sup> Cf. vss. 242–4.

ἀκούετε λεώ· τοὺς γεωργοὺς ἀπίέναι  
 τὰ γεωργικὰ σκεύη λαβόντας εἰς ἄγρὸν  
 ὡς τάχιστ' ἄνευ δορατίου καὶ ξίφους κάκοντίου·  
 ὡς ἀπαντ' ἥδη ὅτι μεστὰ τάνθάδ' εἰρήνης σαπρᾶς.  
 ἀλλὰ πᾶς χώρει πρὸς ἔργον εἰς ἄγρὸν παιωνίσας,

nihilominus quia tam consuetum erat chorum ad finem fabulae retinere, quacumque de causa in scaena manent dum Trygaeus e caelo descendit, dum nuptias parandas curat, dum Theoriam prytanibus mandat, dum sacra facit, dum nonnullos qui pacis aliquantulum appetunt ludificatur, dum nuptias celebrat. Quid de *Avibus* dicendum? Vss. 194-8, 252-9, 438-9 certiores sumus ideo aves congregari ut sermonem de proposito novo cum Pisthetaero et Euelpide conferant; quae cum ita sint postquam persuasum est eis ut urbem in aëre sibi condant non est cur in opus vel alio non abscedant. Nam quod ipsi vss. 658-60 dicunt:

. . . τούτους μὲν ἄγων μετὰ σαντοῦ  
 ἀρίστισον εὖ· τὴν δ' ἡδυμελῆ ξύμφωνον ἀηδόνα Μούσαις  
 κατάλειψ' ἡμῖν δεῦρ' ἐκβιβάσας ἵνα παίσωμεν μετ' ἑκίνης

vix bonam causam tam diu manendi afferunt. In *Lysistrata* quoque semichorus senum ad arcem venerunt ut mulieres improbas igne expugnant;<sup>1</sup> muliebris vero semichorus ut auxilium suis ferat.<sup>2</sup> Sed postquam in unum convenerunt locum reliquum fere tempus terunt inter se ita rixantes atque tandem rixam componentes ut alteram quasi fabulam praebent; verum nec cum in gratiam inter se redierunt<sup>3</sup> e scaena abeunt. Itaque in *Ranis* choreutae qui mysteria acturi<sup>4</sup> intraverunt hoc mox omissi remanent tantum quod moris fuit chorum remanere; eo enim quod Hercules vs. 161 pollicitus erat eos facturos vss. 438-440 perfecto nihil dramatici obstat quin alio se recipiant. Nec multo aliter in *Ecclesiazusis*, quamquam post redditum vss. 517-8 dixit Praxagora:

περιμείνατε ννν ἵνα τῆς ἀρχῆς ἦν ἄρτι κεχειροτόνημα  
 ξυμβούλοισιν πάσαις ὑμῖν χρήσωμαι,

nihilominus posthac neque eas consulit umquam neque in scaena quidem post vs. 727 manet, et tamen assessorum illae in scaena

<sup>1</sup> Cf. vss. 254 seq.

<sup>3</sup> Vss. 1040-1.

<sup>2</sup> Cf. vss. 319 seq.

<sup>4</sup> Cf. vss. 154-8, 316 seq.

usque in vesperum perdurant. Nec non in *Pluto* agrestes Chremyli accolae in divitiarum communicationem<sup>1</sup> arcessiti neque locupletantur, nisi verbis meris, neque causam habent bonam ob quam tam diu saltantes praesto sint.

In *Equitibus* contra et *Thesmophoriazusis* fabula ipsa postulat ut choreutae diutius morentur: in altera enim quoniam idcirco arcessuntur<sup>2</sup> ut subsidio Agoracrito sint nec Cleon ante vss. 1248–60 debellatus est paene ad exitum fabulae sunt necessarii; in altera omnia apud feminas in *Thesmophorio* ferias suas celebrantes aguntur. Verum notandum est has fabulas earum esse quae intra diem unum concludantur, in nulla ex iis quae ultra diem extenduntur tam diu chorū in re dramatica versari.

Quoniam igitur non modo arduum erat chorū arte ad actionem per totam fabulam aptare sed non erat inauditum choreutas ipsos secum alteram quasi fabulam agere et consuerant ipsos spectatores alloqui, evidens est licet in actione liberius, ut in comica fabula, choreutae nonnumquam versentur tamen non perinde e choro pendere actionem ac in vetere tragœdia;<sup>3</sup> immo vero tantum abest ut in comoedia aequē atque in plerisque tragœdiis omnia cum chori præsentia convenient ut choro potius ipso interdum neglecto rem temporalem ut res dramatica postulat poeta tractet.

Nec praetereundum illud est, ideo facilius in comoedia quam in tragœdia longiora temporis intervalla fingi quod in tragœdia plerumque cantica ad rem dramaticam plus minus arte restringebantur, in comoedia quotienscumque spectatores ipsos choreutae alloquebantur vel nominatim de singulis Atheniensibus iocabantur mentes spectatorum ab re temporali omnino abstrahebant.

Denique non est obliviousendum poetam non tractationem de arte poetica conscribere verum comoediam ad præmium adipiscendum informatam, quae cito spectatoribus coram ageretur,<sup>4</sup> nec “legem” de temporis unitate servanda præ se tulisse; immo nosmet ipsos μορμώ legis istius nobis imposuisse.

<sup>1</sup> Cf. vss. 222–6, 284–5.

<sup>2</sup> Cf. *E* 225 seq.

<sup>3</sup> Recentiores sane, ut Euripides et Agatho, minus in re dramatica chorū valere patiebantur.

<sup>4</sup> Quam praeterea, ut dictitat White, nonnumquam usque ad diem quo docebatur partim retractabat; cf. enim *Ec.* vss. 1154–62.

Et in hac quaestione persequenda mirum quantum ipsi qui noverunt legem talem existere nullam, tamen ea obstringuntur. Nam et Felsch et Polczyk de “lege” scilicet “illa Aristotelica” usqueaque scribunt; nec non tam penitus sibi Polczyk videtur persuasisse legem re vera eam esse ut p. 15 etiam Terenti *Heautontimorumenon* sub eam cogere temptet. Sed quae ipse dicit audi: “Sed etiamsi hac in fabula actio unum diem excedit tamen Aristotelis de unitate temporis lex illa non migratur, quoniam Aristoteles ipse aperte dicit in fabulis actionem intra circuitum solis aut paulo diutius fieri.” Quocirca eo iudice interpretari debemus Aristotelem cum μίαν περίοδον ἡλίου dixisset non traiectionem caeli unam sed horas significavisse viginti quattuor a quovis tempore clepsydra nimirum numeratas, quasi ita aut unitas temporis servaretur aut chori continua praesentia speciosa redderetur. Verum aut Aristoteles non de unitate temporis scribebat aut intra fines unius diei nocte non intercedente concludenda est fabula. Si enim noctem in fabulam incidere patimur nihil interest viginti quattuor horas poetae permittamus an quinque et viginti; nocte enim illa non horae unius incremento unitas temporis deleta est. Neque Aristotelis laudem augemus dum talem sententiam tam praeclaro ingenio imputamus. Non igitur dubito quin ille dixerit plerasque fabulas a solis ortu inceptas ante solis occasum finiri, nonnullas tamen paulum hunc modum superare dum etiam ante lucem initium caperent. Quin ergo confitemur fabula *Heautontimoromeno* perfecta semel dumtaxat “legem” istam in nova comoedia interruptam esse?

B

Iis igitur fabulis quae supra unum diem extenduntur iam examinatis ad eas quae aperte intra diem concluduntur pergamus.

i. *Equites*

Hieme agi fabulam *Equites* indicio forsitan sint vss. 881-3:

τονδὶ δ' ὁρῶν ἄνευ χιτῶνος ὅντα τηλικοῦτον  
οὐπώποτ' ἀμφιμασχάλου τὸν Δῆμον ἡξίωσας,  
χειμῶνος ὅντος.

Sed cum *εἰς Λήγανα*<sup>1</sup> hanc fabulam Aristophanes dederit haud scio an verum tempus hic cogitaverit.<sup>2</sup>

Diei vero tempus quo fabula initium capit etsi nusquam plane ab Aristophane indicatum antemeridianum certe esse paene necessario inde sequitur<sup>3</sup> quod et botularius in ἀγορὰν<sup>4</sup> tomacula sua venditum modo prodit et senatus adhuc in curia est.<sup>5</sup>

Ab initio usque ad vs. 498 non intermissa est actio; dum autem vss. 498–610 parabasis cantatur, Agoracritus Paphlagonque apud senatum vario patrum favore disceptant<sup>6</sup> atque Agoracritus postquam senatus dimissus est in foro multa opsonatus senatoribus distribuenda curavit.<sup>7</sup>

Inde histrionum dumtaxat unus usque ad vs. 1264 in scaena reperitur; dum altera parabasis vss. 1264–1315 agitur Demus ab Agoracrito recreatus<sup>8</sup> in priscis Athenis consedit.<sup>9</sup> Nihil de exitus tempore dictum.

Quamquam igitur duo sunt praecipua intervalla<sup>10</sup> nihil obstat quin arbitremur omnia huius fabulae quae ante meridiem exorsa est intra diem concludi.

<sup>1</sup> Cf. *Arg.* II.

<sup>2</sup> In *Thesm.* quoque (cf. p. 28 n. 7) sub iudice relinquo litem; sed in *Ach.* (cf. pp. 18 n. 4, 69 n. 6) mihi persuasum est de industria Aristophanem hiemis indicia intulisse ut cum re dramatica congruerent. Itaque in *Arribus* (cf. pp. 46 n. 3, 69 n. 6).

<sup>3</sup> Non tamen inde quod vss. 746–8 Paphlagon de ecclesia continuo habenda suadet; hoc enim loco augusto in tramite, ut ita dicam, incedit poeta inter rem ipsam et personam eius rei vicem obtinentem. Quod manifestius redditur si vss. 723–5 conferas ubi cum incipit Paphlagon:

τῷμεν ἐς τὸν δῆμον

de vera ecclesia cogitamus; postea tamen ille exclamat:

ὦ Δῆμε δεῦρ' ἔξελθε.

Sic etiam vss. 746 seq. primo populum Atheniensium rem diiudicaturum rati postea histrionalem comperimus Populum iudicem esse. Et vss. 1388–95 quae primo triginta annorum induitiae putantur mox virgines evadunt. Cum quibus locis componere licet *Av.* vss. 548–54, 1536 seq., 1632 seq., 1639, 1675, 1678, 1687 seq., 1713, 1723 seq., ubi aves exorsae quidem de regno suo recipiendo consulere in ultima fabulae parte virginem cui nomen Regno (*βασιλέα*) inditum est a Iove accipiunt.

<sup>4</sup> Vss. 146–7; cf. 155, 160–1, 488–9.

<sup>5</sup> Cf. vss. 475–6, 485, 625 seq.

<sup>6</sup> Cf. vss. 363, 395, 475 seq., 482 seq., 625–75.

<sup>7</sup> Cf. vss. 676–82.

<sup>9</sup> Cf. vs. 1323.

<sup>8</sup> Cf. vss. 1321, 1336.

<sup>10</sup> Vss. 498–610 et 1264–1315.

2. *Vesparae*

Tempus *Vesparum* certius quam in *Equitibus* definitur. Praeterquam enim quod luna nova est<sup>1</sup> hic illic per fabulam de tempore certiores sumus.

Exordium enim a multa nocte capi abundant testimonia; nam servi modo experrecti somnia inter se narrant,<sup>2</sup> Bdelycleon tamen adhuc dormit<sup>3</sup> neque a somno solvitur ante vss. 136–7. Et postquam Philocleonem vss. 137–210 intra aedes denuo compescuerunt vs. 229 obdormiunt rursus custodes illi sicut Sosia iam vss. 211–13 suaserat; cf. enim quae Philocleon choreutis vss. 336–7 praecipit:

ἀλλὰ μὴ βοᾶτε· καὶ γάρ τυγχάνει  
οὐτοις πρόσθεν καθεύδων· ἀλλ’ ὑφεσθε τοῦ τόνου,

iterum vss. 371–2:

. . . ἀλλὰ μὴ βοᾶτε μηδαμῶς,  
ἀλλὰ τηρώμεσθ' ὅπως μὴ Βδελυκλέων αἰσθήσεται,

item vs. 381:

ἢν αἰσθομένω τούτῳ ζητῆτόν μ' ἐσκαλαμᾶσθαι.

Cf. etiam vs. 347:

ἥτις σε λάθρᾳ τάνδρὸς τουδὶ καταβῆναι δεῦρο ποιήσει

et ea quae Bdelycleon vs. 395 servo suo iniungit:

οὗτος ἔγειρον . . . ὥσπερ φωνή μὲ τις ἐγκεκιλωται.

Nec non ὅρθρον βαθὺν esse vs. 216 Sosia monet; et vss. 230 seq. ob tenebras lucernae opus sunt;<sup>4</sup> vs. 366 tandem processu temporis ἔως est.

Post autem chori introitum continenter ad vs. 1009 histriones in scaena versantur. Parabasi vero vss. 1009–1121 confecta aliquantum processisse sentimus tempus dramaticum et iam in vesperum vergere; nunc enim Bdelycleon in cenam patrem suum et exornat et facetias moresque ac cantus docet.<sup>5</sup> Deinde cena a servo intra vss. 1252 et 1264 parata abeunt apud Philoctemonem cenatum.

<sup>1</sup> Cf. vs. 171: *νοιημηνία γάρ ἐστιν.*

<sup>3</sup> Cf. vss. 67–8.

<sup>2</sup> Vss. 2, 5–7, 9, 10–19, 24–5, 28–36, 38–40, 42–5.

<sup>4</sup> Cf. vss. 244–7, 249–57, 262, 299, 275–6, 242–3.

<sup>5</sup> Cf. vss. 1122–72, 1174–1207, 1208–17, 1219–48.

Dum chorus vss. 1265–91 canit ad destinatum amicum pervenitum est, convivioque absoluto<sup>1</sup> Philocleon ebris factus<sup>2</sup> saltatrice raptā<sup>3</sup> tandem dum multum in via ludit<sup>4</sup> domum revertitur.<sup>5</sup>

Non solum autem quod cenatum est arbitrari possumus vesperi nunc esse verum etiam quia de facibus pluries mentio fit.<sup>6</sup>

Sed et aliud interiectum est intervallum choro vss. 1450–73 canente; e vss. 1474 seq. enim discimus senem iterum vinum bibisse (1476) atque saltasse (1477–9) et adhuc saltare. Atque in noctem desinere fabulam liquet e vs. 1478: ὄρχονμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται.

Hanc igitur fabulam sicut *Equites* ea in tempore dramatico tractando observare iudicandum est quae ex Aristotelis verbis novimus consuetudinis apud tragicos plerumque fuisse; et mane quidem initium capere, in vesperum eiusdem diei desinere.

### 3. *Thesmophoriazusae*

Quibus fabulis accedit fabula *Thesmophoriazusae*, quam Νηστείᾳ, itaque mensis Πιανεψιῶν<sup>7</sup> aut duodecimo aut tertio decimo<sup>8</sup> die, agi e vss. 78–80 docemur:

ἐπεὶ νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια  
μέλλει καθίξειν οὔτε βουλῆς ἐσθ' ἔδρα,  
ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.<sup>9</sup>

<sup>1</sup> Cf. vss. 1299–1323.    <sup>2</sup> Cf. vss. 1322, 1392–3.    <sup>3</sup> Cf. vss. 1345–6, 1368–9.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1322–3, 1388–91, 1396–8, 1415–18, 1422, 1443–5.

<sup>5</sup> Vss. 1322–4.

<sup>6</sup> Vss. 1330–1, 1361, 1390; cf. etiam vss. 1372 seq.

<sup>7</sup> Cf. vss. 67–8: . . . χειμῶνος οὖν

ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ δύοιον,

in quos van Leeuwen haec annotat: “Ad rem quod attinet, hiems vixdum praeteriit si veri temporis (Liberalium) habetur ratio, modo ingruit, si facti (Thesmophoriorum).” Cf. quae p. 26 subnotav. i

<sup>8</sup> Cf. Schömann-Lipsi *Griech. Alterthümer* II pp. 504–5; A. Mommseni *Feste der Stadt Athen* pp. 310 seq.

<sup>9</sup> Id quod et vss. 374–6 confirmatur:

. . . εἰπε Σωστράτη·  
ἔκκλησιαν ποιεῖν ἔωθεν τῇ μέσῃ  
τῶν Θεσμοφορίων

et 948–9:    δόται δργια σεμνὰ θεοῖν ἱερᾶς ὥραις ἀνέχωμεν, ἅπερ καὶ  
Πιάνσων σέβεται καὶ νηστεύει

nec non 983–4: παίσωμεν δὲ γυναῖκες οἴάπερ νόμος  
νηστεύωμεν δὲ πάντως.

Et quidem mane esse praeterquam quod Mnesilochus vss. 78-9 dixerat:

ἐπεὶ νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια  
μέλλει<sup>1</sup> καθίζειν

etiam inde concludimus quod nondum Thesmophoria agentes feminae convenerunt,<sup>2</sup> statuerant autem ἔωθεν convenire;<sup>3</sup> et minus certe inde quod et vss. 457-8 mulier dicit εἰς ἀγορὰν se debere abire ut coronas pactas nectat et vss. 577-8 Clisthenes asseverat id quod Euripides fecerat iam κατ' ἀγορὰν vulgus garrire, ante meridiem autem constat Athenienses negotia plerumque obiisse.

Tamen post primam esse lucem ex eo patefit quod vs. 2 dicitur:

ἀπολεῖ μ' ἀλοῶν ἄνθρωπος ἐξ ἑωθινοῦ.

"Eos sane longitudinem aliquantulam habet; nunc autem ab eius initio nos distare poeta fingit necdum ad finem pervenisse.

Ante vs. 571 id quod Euripides fecerat in foro divulgatum erat,<sup>4</sup> quo auctore? Agathon enim qui solus Euripidi conscientius huius facinoris fuerat domum suam vs. 265 intraverat tragicomediam nempe quam incohaverat perfecturus. Quocirca ipse Euripides apparuit famam doli sui vulgavisse; is enim vs. 279 dixerat ἐγώ δ' ἄπειμι (non εἰσειμι), unde non immerito iudicaverit quispiam parodo dextra eum a scaena abiisse, et cum Clisthenes qui eadem parodo ingressus est vss. 595-6 affirmat:

ληρεῖς· ἐγώ γάρ οὐκ ἀν ἥλθον ἀγγελῶν  
εἰ μὴ 'πεπύσμην ταῦτα τῶν σάφ' εἰδότων

haud veri dissimile est de Euripide auctore spectatores cogitavisse. Quae cum ita sint, rumor ille iudicandus est post vs. 279 (quando Euripides in forum se receperat) percrebuisse.

<sup>1</sup> Cf. van Leeuweni notam: "primo mane haec dicuntur."

<sup>2</sup> Vss. 277-8 demum feriale signum super Thesmophorion conspicitur.

<sup>3</sup> Cf. vss. 374-6.

<sup>4</sup> Cf. vss. 577-8:

Κλ. καὶ νῦν ἀκούσας πρᾶγμα περὶ ὑμῶν μέγα  
δόλιγψ τι πρότερον κατ' ἀγορὰν λαλούμενον

et 584-5:      Κλ. Εὑριπίδην φάσ' ἄνδρα κηδεστήν τινα  
αὗτοῦ γέροντα δεῦρ' ἀναπέμψαι τήμερον.

Post vs. 654 (quo tempore Clisthenes abiit prytanibus facinus denuntiatum) Euripides de Mnesilochi periculo certior factus vs. 871 ut auxilio ei sit in scaenam redit; interim Clisthenes sive in senatum iam in curia sedentem ingressus seu senatu ad haec illico convocato effecerat<sup>1</sup> ut prytanes de senatus consulto<sup>2</sup> Scytham Mnesilochi in nervo custodiendo praeficerent.

Dum chorus vss. 947-1000 in scaena versatur Mnesilochus abductus et ligatus vs. 1001 rursus in scaenam inducitur; atqui haec vix longiore tempore ad perficienda egent quam quo versus hi in scaena recitantur. Itemque vss. 1008-81 dum Scytha abest per speciem storeae petendae re vera tamen ut Euripides introeundi occasionem nanciscatur haud plus intervalli sumendum est quam in scaena usurpatur.<sup>3</sup>

Dum chorus vss. 1136-59 cantat satis temporis praeterlapsum esse fingendum est ut Euripides in speciem aniculae vestitus saltatricem tibicinamque alicunde conduceret.<sup>4</sup> Denique vss. 1202-9 dum Euripides Mnesilochum compedibus liberat et postquam ambo effugerunt Scytha cum saltatrice concubit.<sup>5</sup>

His quae enumeravi intervallis constitutis nihil tamen causae est cur plus quam diem unum temporis dramatici sumamus; immo ne vesperi quidem in fine est, nisi fortasse e vss. 1177-8:

Ev. ή πᾶς ἔμελλε προμελετᾶν ὡ τοξότα·  
όρχηστροιν γάρ ἔρχεο' ὡς ἄνδρας τινάς

colligendum est vesperi tenebras iam appropinquare.

Sed utcumque haec res se habet in ipsa fabula indicia praebentur fore ut intra unum diem contineatur. Euripides enim dicit:

vss. 71: ω Ζεύ τί δρᾶσαι διανοεῖ με τήμερον;

et 76-7: τῆδε θήμέρα κριθήσεται  
εἴτ' ἔστ' ἔτι ξῶν εἴτ' ἀπόλωλ' Εύριπίδης

et 83-4: κάν Θεσμοφόροιν μέλλουσι περί μου τήμερον  
ἐκκλησιάζειν ἐπ' ὀλέθρῳ

<sup>1</sup> Cf. vs. 929: Πρ. ὅδ' ἔσθ' δ πανούργος ὃν ἔλεγ' ήμιν Κλεισθένης;

<sup>2</sup> Cf. vs. 943: ἔχοντα ταῦν' ἔδει τῇ βουλῇ σε δεῖν.

<sup>3</sup> Quales extra scaenam actiones ideo fere neglexi quia nihil re vera ad rem temporalem pertinent. Cf. p. 59 n. 1.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1172 seq.

<sup>5</sup> Cf. vss. 1193-8, 1210-11; et p. 66.

et 181-2: μέλλουσι μ' αἱ γυναῖκες ἀπολεῖν τήμερον  
τοῖς Θεσμοφόροις.

Et vss. 584-5 nuntiat Clisthenes:

Ἐύριπίδην φάσ' ἄνδρα κηδεστήν τινα  
ἀντοῦ γέροντα δεῦρ' ἀναπέμψαι τήμερον.

Deinde prytanibus de hoc certioribus factis reliqua fabula tam arte cum priore parte conexa est ut nusquam noctis intercedentis vestigium appareat.

Duae vero in hac fabula difficultates obviam fiunt quarum de altera disseruit Van Leeuwen, de altera apud editores sileri videtur.

Cum enim tota fabula interdiu agatur scrupulus van Leeuweno iniectus est quia faces vss. 280, 655, 726-30, 917, 1153 in actione adhibeantur. Ad vs. 655 enim haec annotat: “... nunc ut facum usus aliqui esse possit noctem ingruere sumamus oportet ...” Consuetudinis contra fuisse facibus in his feriis uti paene mihi inde persuasum est quod et mulieres facibus ardentibus in Thesmophorion vss. 280-1 tum introeunt cum mane esse nemo non fateatur<sup>1</sup> necesse est nec ut de inusitato<sup>2</sup> ibi narratur, et vss. 1148 seq. iterum velut de bene noto usitatoque dicitur:

Xo. ἥκετ' εὖφρονες Ἰλαοι  
πότνιαι ἄλσος ἐς ὑμέτερον  
οὐ δὴ ἀνδράσιν οὐθὲμις εἰσορᾶν  
ὅργια σεμνὰ θεοῖν ἵνα λαμπάσι  
φαινετον ἄμβροτον δψιν.

Itaque censeo ad ferias Thesmophoria aliquo modo faces pertinuisse, Aristophanemque consulto non temporis indicia sed ut in *Ranis*<sup>3</sup> consuetudinem feriale repraesentare.

Ex altera tamen difficultate expediri posse nos minus liquet.

Qui enim fit ut qui vss. 78-80 scripserit:

<sup>1</sup> Ipse enim van Leeuwen hoc confitetur; cf. pp. 28 seq., et 29 n. 1.

<sup>2</sup> Immo de multitudine seminarum ibi miratur Mnesilochus; cf. enim quae exclamat:

ὦ Θρῆττα θέασαι, καομένων τῶν λαμπάδων  
ὅσον τὸ χρῆμ' ἀνέρχεθ' ὑπὸ τῆς λιγνύνος.  
ἄλλ' ὦ περικαλλεῖ Θεσμοφόρω δέξασθέ με κτέ.

<sup>3</sup> Cf. p. 40.

νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια  
μέλλει καθίζειν οὔτε βουλῆς ἐσθ' ἔδρα  
ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση

idem vs. 943 addere potuerit:

ἔχοντα ταῦτα' ἔδοξε τῇ βουλῇ σε δεῖν?

Consuetos enim esse Athenienses talibus feriis senatum non convocare ex illis apparet locis qui apud Gilbert, *Handbuch der Griechischen Staatsaltertümer*, vol. i<sup>1</sup>, p. 307, n. 1 laudantur:

[Xen.]'Αθ. πολ. 3, 2: ἑορτὰς . . . ἐν δὲ ταύταις ἡττόν τινα δυνατόν ἐστι διαπράττεσθαι τῶν τῆς πόλεως.

Dem. *Orat.*, 24, 26: οὔτε γάρ ἔξεθηκε τὸν νόμον οὔτ' ἔδωκεν εἴ τις ἐβούλετ' ἀναγνούσι ἀντειπεῖν οὔτ' ἀνέμεινεν οὐδένα τῶν τεταγμένων χρόνων ἐν τοῖς νόμοις ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας ἐν ἦ τούς νόμους ἐπεχειροτονήσατ' οὕσης ἐνδεκάτῃ τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσήνεγκεν εὐθὺς τῇ ὑστεραὶ καὶ ταῦτ' ὅντων Κρονίων καὶ διὰ ταῦτ' ἀφειμένης τῆς βουλῆς, διαπραξάμενος μετὰ τῶν ὑμῶν ἐπιβουλευόντων καθέξεσθαι νομοθέτας διὰ ψηφίσματος ἐπὶ τῇ τῶν Παναθηναίων προφάσει. . . .

(Cf. etiam ib. 29: καὶ νόμου κειμένου μήτ' ἴδια μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ μηδὲ χρηματίζειν ὅ τι ἀν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ἦ.)

Arist. 'Αθ. πολ. 43, 3: συνάγουσι . . . τὴν μὲν βουλὴν ὅσαι ἡμέραι πλὴν ἑάν τις ἀφέσιμος ἦ.

Plut. *Alcib.* 34: . . . τὰ Πλυντήρια τῇ θεῷ . . . ὅθεν ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἀπρακτὸν Ἀθηναῖοι νομίζουσιν.

Athen. 4, 171 E: εὐρίσκω δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος 'Αθήνησι γενόμενον . . . ἔχον οὕτως· Φῶκος ἐπεν, ὅπως ἀν ἡ βουλὴ ἄγγη τὰ Ἀπατούρια μετὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων κατὰ τὰ πάτρια, ἐψήφισθαι τῇ βουλῇ ἀφένσθαι τοὺς βουλευτὰς τὰς ἡμέρας ἀστέρι καὶ αἱ ἄλλαι βουλαὶ διαφεύνται ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἢσι οἱ Προτένθαι ἄγουσι πέντε ἡμέρας.

Nec hanc senatus mentionem pertinere ad contaminationem duarum fabularum quarum altera Νηστείᾳ altera τοῖς Καλλιγενεῖοις ageretur qua Zielinski hanc fabulam esse affectam ex morum mixtura probare conatus est<sup>1</sup> inde videtur mihi patere quia non solum ἡ Νηστεία sed procul dubio etiam τὰ Καλλιγένεια nefastorum dierum numero habebantur.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Cf. *Die Gliederung der Attischen Komödie* pp. 79 seq. Non autem hanc discrepantium memorat.

<sup>2</sup> Id quod Zielinski videtur p. 82 n. 1 iudicare.

Anne solvitur haec quaestio Xenophontis et Athenaei verbis iterum perpensis? Animadvertere enim licet illum non dicere nihil omnino fériis agi sed minus posse tunc agi, hunc vero repertum esse quondam senatus consulto opus fuisse ut senatus Apaturia sicut antea observaret. Quae cum ita sint ecquid a recta ratione abhorret statuere etiam festis diebus potuisse senatum convocari si repente necesse fieret? Prius autem quam has rationes ulterius deducam aliud est rogandum, possitne de eiusmodi actione in hac fabula agi quae Graece ἐνδειξις nominabatur. Ea enim quae et Harpocration statuit: ἐνδειξις εἶδος δίκης δημοσίας ὑφ' ἦν τὸς ἐκ τῶν νόμων εἰργομένους τινῶν ἢ τόπων ἢ πράξεων εἰ μὴ ἀτέχουντο αὐτῶν ὑπῆργον et Suidas in novissima parte notae: ὅμοιώς (ἐνδείκνυσιν) καὶ τὸν ἀντιποιούμενον πράξεων ἢ τόπων ἀπηγορευμένων τοῦς νόμοις . . . ad eiusmodi aliquid videntur spectare quod in hac fabula Mnesilochus fecit, quamquam J. H. Lipsius<sup>1</sup> de ἐνδείξει disputans ad τοὺς ἀτίμους hanc actionem restringit, id quod vix ex auctoribus supra laudatis sequatur necesse est.

Verum alio quoque modo ea quae in fabula aguntur cum iis quae de ἐνδείξει dicuntur consentiunt; Mnesilochum enim ἐν τῇ σανδὶ vinctum recordati audiamus quae Demosthenes eloquitur:<sup>2</sup> . . . οὕθ' ὅσων ἐνδειξίς ἔστιν ἢ ἀπαγωγὴ προσεγγραπτή ἀν ἐν τοῖς νόμοις “τὸν δ' ἐνδειχθέντα ἢ ἀπαχθέντα δησάντων οἱ ἐνδέκα ἐν τῷ ξύλῳ” εἰπερ μὴ ἔξην, κτέ.

Postremo autem notandum est ut in ἐνδείξει<sup>3</sup> ita in *Thesmophoriazusis* nihil πρόσκλησιν opus fuisse.

Si autem concessum erit et ἐνδειξιν in *Thesmophoriazusis* versari et senatum etiam festis diebus ad repentina negotia consideranda convocari potuisse tunc erit probandum non a consuetudine abhorruisse prytanes ad senatum de ἐνδείξει referre; nec quod sciam materia nobis praebetur qua hoc argumentis bonis stabiliatur. Non igitur quo probata haec existimem profero verum doctioribus examinanda; egomet puto Aristophanem insciū vel lapsu quodam hic sibi ipsum haud constitisse.

<sup>1</sup> Cf. *Das Attische Recht und Rechtsverfahren* pp. 331 seq.; nec aliter Meier-Schömann-Lipsius, *Der Attische Process* pp. 270 seq., 286 seq.

<sup>2</sup> *Orat.* 24, 146.

<sup>3</sup> Cf. quae Meier-Schömann-Lipsius p. 779 dicunt; J. H. Lipsius, p. 317.

4. *Ecclesiazusae*

Verum sive Aristophanes male sibi constituit seu non inauditam spectatoribus repraesentabat iudiciale actionem plane finibus diei unius fabula coeretur; neque aliter de *Ecclesiazusis* iudicandum est.

Quam fabulam mane ante primam lucem exordiri plurifariam ostenditur; Praxagora enim lucernam ferens<sup>1</sup> vss. 20-1 queritur:

καίτοι πρὸς ὄρθρον γ' ἔστιν·<sup>2</sup> ή δὲ ἐκκλησία  
αὐτίκα μάλ' ἔσται,

et vss. 82-5 sic hortatur amicas:

ἀλλ' ἄγεθ' ὅπως καὶ τάπι τούτοις δράσομεν  
ἔως ἔτ' ἔστιν ἀστρα κατὰ τὸν οὐρανόν·  
ἡκκλησία δὲ εἰς ἣν παρεσκευάσμεθα  
ἥμεις βαδίσειν ἐξ ἔω γενήσεται.

Cf. etiam vs. 105 verba τὴν ἐπιώσαν ἡμέραν.

Atque tam tenebricosum vss. 27-9 est ut discernere nequeat Praxagora utrum vir adveniat an mulier. Adde quod gallus modo secundum cecinit,<sup>3</sup> feminae domibus egressae viros suos quorum vestes furatae sunt adhuc somno oppressos reliquerunt<sup>4</sup> et tanto ante ecclesiae tempus usitatum<sup>5</sup> convenerunt ut quae in ea acturae sint nunc praetemptare possint,<sup>6</sup> neque postquam haec perfecerunt serius est quam ὄρθρος.<sup>7</sup>

<sup>1</sup> Cf. vss. 1 seq. Et Geusistrata taedam gerit; cf. vss. 49-50.

<sup>2</sup> Item vss. 526-7 Blepyrus quaerit:

πῶς οὖν ὄρθρον  
ῳχον σιωπῇ . . . ;

cui respondet vss. 528-9:

γυνὴ μέ τις νύκτωρ . . .  
μετεπέμψατ·.

Huc autem accedunt ea quae chorus feminarum de hodierna ecclesiae occupatione vs. 290 dicunt (*πρὸς πάνυ τοῦ κνέφους*) et vs. 288 (*κατὰ σκότον*).

<sup>3</sup> Cf. vss. 30-1.

<sup>4</sup> Cf. vss. 26-7, 33-40, 54-6, 74-7, 275, 311 seq., 526-7, 536-7, 541-2.

<sup>5</sup> Cf. vss. 20-3, 84-9, 98-9, 289-92, 394-5.

<sup>6</sup> Vss. 116-117, 118-284.

<sup>7</sup> Cf. vss. 280-92, praesertim ὄρθροις vs. 283, κατὰ σκότον vs. 288, πρὸς πάνυ τοῦ κνέφους vs. 290; et p. 12 n. 2.

Scaena a choro vs. 310 deserta mox Blepyrus Praxagorae vir ἔωθεν<sup>1</sup> ingressus secum et cum altero et rursus secum vss. 311-71 colloquitur; quae dum aguntur, ecclesia ut a Chremete vs. 372 ingresso certiores simus habita est, quae ut mane incepérat ita mane erat dimissa.<sup>2</sup> In ea haec gesta sunt: Neoclides<sup>3</sup> et Euaeon<sup>4</sup> sunt contionati, tum Praxagora et ea quae vss. 171-240 spectatorum causa iam pronuntiarat<sup>5</sup> et alia nonnulla verba fecit; cf. enim haec quae non in priore illa oratione tractarāt: τὰς μὲν γυναικας πόλι' ἀγαθὰ λέγων σὲ δὲ πολλὰ κακά (435-6), ἔτερά τε πλεῖστα τὰς γυναικας ηὐλόγει (454), et vss. 436-9, 441-4, 446-50, 452-3. Et quamquam resistentibus nonnullis<sup>6</sup> sententia tamen feminarum vicit et in eam decretum est.<sup>7</sup>

Remotis nunc a scaena vs. 477 Blepyro atque amico chorus ecclesia iam dimissa denuo vs. 478 scaenam intrat; pauloque postea (vs. 500) Praxagora reversa viri sui vestes exuit (inter vss. 513 et 514), nec non Blepyrus ipse suis credo vestibus rursum amictus in iurgium vs. 520 prodit. Qui histriones usque ad vs. 727 in scaena partes suas agunt, cum Praxagora εἰς ἀγορὰν abscedit ut bonis privatis pro re publica acceptis convivium hodie celebrandum comparet.<sup>8</sup>

Breve esse intervallum dum chorus inter vss. 729 et 730 saltat inde fortasse conicias quod is qui vs. 729 domum abiit bona sua in publicum collaturus vs. 730 foras exit id agens; verum cum e vss. 834-52 patefiat iam in vesperum diem vergere<sup>9</sup> plus intervalli inter

<sup>1</sup> Cf. vs. 312.

<sup>2</sup> Stomachatus quod pecuniam non acceperat (cf. vss. 380-2) in maius distorquet id quod de dimissionis tempore affirmat vs. 377 (*ὑρθριον μὲν οὖν*) ut vss. 389-91 cognoscitur: nam et ibi idem facit; a Blepyro enim rogatus: οὐδὲ ἄρ' ἀνὴρ λάθοιμ νῦν ἐλθών; respondet: πθένει; οὐδὲ εἰ μὰ Δίᾳ τότε ηλθες ὅτε τὸ δεύτερον ἀλεκτρύων ἐφθέγγετ'. At id temporis, ut e vss. 30-1 scimus, ne mulieres quidem ecclesiam inierant.

<sup>3</sup> Cf. vss. 397-404.

<sup>4</sup> Cf. vss. 408-21.

<sup>5</sup> Cf. vss. 427 seq.

<sup>6</sup> Cf. vss. 432-3, 518-9.

<sup>7</sup> Cf. ξοἶξεν vss. 455, 492; δέδοκται vs. 457; τὰ δέξαντ' vs. 553. <sup>8</sup> Cf. vss. 711-16.

<sup>9</sup> E nuntiae verbis vss. 834 seq. compertum est cenam illam iam esse paratam ideoque sero diei esse; cf. vss. 838-50:

. . . αἱ τράπεζαι γ' εἰσὶν ἐπινενησέναι

ἀγαθῶν ἀπάντων . . .

. . . ἐμβὰς δὲ κεῖται καὶ τρίβων ἐρριμένος.

vss. 729 et 730 interiectum esse sumamus oportet. Atque interea et innotuit cunctos in animo habere bona sua conferre et ille intus satis diu remoratus est ut quae in triviis vulgus garriebat compiperet.<sup>1</sup>

Postquam et ille et alter vss. 871 et 876 cenatum abscesserunt a choro inter vss. 876 et 877 dum convivae recumbunt saltatur.

Licet καθ' ὑπερβολὴν ducas vetulam, legibus novis spe voluptatis redintegrata, convivas captantem vs. 877 secum queri:

τι ποθ' ἄνδρες οὐχ ἥκουσιν; ὥρα δ' ἡν πάλαι,

nihilominus ad vesperum esse suspicamur, neque immerito: vs. 934 enim iuvenis a cena introit ebrius et taedam ferens;<sup>2</sup> nec non Blepyrus cum ab ancilla vss. 1112 seq. quaesitus ad cenam exit taedam gerit;<sup>3</sup> iam dudum plus triginta milia, cuncti nempe praeter Blepyrum, cenaverunt.<sup>4</sup>

Quae cum ita sint non est dubium quin haec fabula mane exorsa in vesperum eiusdem diei desinat.

Sed ut in *Thesmophoriazusis* sic in *Ecclesiazusis* poeta ipse secum discrepat. Ut supra enim vidimus, Praxagora quae modo ex ecclesia illa rediit vss. 714-16:

ἐμὲ γὰρ ἀνάγκη, ait, . . .  
. . . καταστῆσαι . . . τὰ ξυσσίτια  
ὅπως δὲν εὐωχῆσθε πρώτον τῆμερον,

quod convivium in fine fabulae extra scaenam poeta curat habendum. Non igitur facere possumus quin reamur de uno die Aristophanem ipsum cogitavisse.

Manifestum vero reddit ecclesiam illam in qua feminae rei publicae compotes factae erant virorum tantum specie quidem tenuis fuisse, nec quicquam in ea aliud negoti gestum esse quam ut feminis imperium traderetur. Virorum tantum apparuisse ecclesiam esse inde certum est quod et Chremes non nisi viros putat se vidisse<sup>5</sup> et

<sup>1</sup> Cf. vss. 769-774 et 805-6.

<sup>2</sup> Cf. vs. 948: πεπωκὼς ἔρχομαι, vs. 978: δᾶδ' ἔχων. Idem ex vss. 893 seq., 938 seq., 952 seq. colligimus.

<sup>3</sup> Cf. vs. 1150: ἔχω δέ τοι καὶ δῆδα ταυτηνὶ καλῶς.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1132-3, 1136.

<sup>5</sup> Cf. vss. 383-7, 427-433.

mulieres vestes viriles non ante vs. 507 deponunt; quocum congruit id quod mulieres vs. 492 commemorant:

*τὸ πρᾶγμα' . . . δὲ νῦν ἔδοξε τοῖς πολίταις.*

Porro tantum de tradenda re publica ibi actum est; Chremes enim qui usque ad finem ecclesiae aderat<sup>1</sup> de rebus in ea decretis vss. 372 seq. referens cum a Blepyro vs. 455 rogatus est: *τι δῆτ' ἔδοξεν;* hoc solum nuntiat:

*ἐπιτρέπειν γε τὴν πόλιν  
ταῦταις.*

Ita Blepyrus ea quae audierat cum Praxagora vss. 553, 555 communicat:

*οὐδὲ ἄρα τὰ δόξαντ' οἰσθα;  
ὑμῖν δέ φασι παραδεδόσθαι τὴν πόλιν.*

Huc accedit quod feminae cum inter Praxagoram et viros duos de muliebri consilio disceptatur velut de re adhuc integra Praxagoram ita vss. 577 seq. cohortantur:

*δεῖται γάρ τοι σοφοῦ τινος ἔξευρήματος ή πόλις ήμῶν.  
ἀλλὰ πέραινε μόνον  
μήτε δεδραμένα μήτε εἰρημένα πω πρότερον.*

Atque ipsa Praxagora eodem fere modo vss. 583 seq. orationem suam exorditur.

Hactenus igitur pro comperto habemus unam fuisse ecclesiam in qua viri soli et pseudoviri interfuerunt, quam ob causam nihil ultra quam ut traderetur res publica constitui potuisse.

At postea non semel audimus de legibus a feminis latis quae bonorum collationem, promiscuum conubium, ordinem coeundi statuerunt. Cui rei cumulantur testimonia; cf. enim: *κατὰ τὸν δεδογμένους νόμους* (759); *τοῖς νόμοισι . . . τοῖς δεδογμένοις* (762–3); *τὸ τατόμενον* (766, 767); *τῶντα τῇ πόλει δοκεῖ* (854); *κατὰ τὸν νόμον* (944); *δοκεῖ* (986); *ψήφισμα* (1013), *ἔδοξε ταῦς γυναιξὶν* (1015); *τοῖς . . . νόμοις τοῖς ήμετέροισι* (1022) anicula loquente; *τοῦτον τὸν νόμον* (1041); *τὸν νόμον* (1049); *τῶν γραμμάτων* (1050); *δὲ νόμος* (1056); *κατὰ τὸν νόμον* (1077). Et quidem ipsa Praxagora iam vss. 711–24 post longam disputationem de novis propositis habitam quasi de iam constitutis haec loquitur:

<sup>1</sup> Cf. vss. 376–7.

βαδιστέον τῷρ' ἔστιν εἰς ἀγορὰν ἐμοί,  
ἴν' ἀποδέχωμαι τὰ προσιόντα χρήματα . . .  
. . . ἐμὲ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα δρᾶν ὑρημένην  
ἀρχειν, καταστῆσαι τε τὰ ξυσσίτια  
ὅπως ἀν εὐωχῆσθε πρῶτον τήμερον . . .  
. . . ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαύσαι βούλομαι  
ἀπαξαπάσας. . .

Haec vero eadem sunt de quibus vss. 590 seq. (de bonorum consortio), 614 seq. (de uxorum communicatione), 673 seq. (de publicis cenis) ut nondum ratis disseruerat.

Quando autem latae sunt hae leges? Tempus ei rei perficidae Aristophanes non dedit. Cum enim ecclesia illa tantum ut feminae re publica potirentur censuerit hae novae leges, siquidem latae sunt, in altera ecclesia latae sint necesse est; at ad hoc aut altero die opus fuisse aut altera eodem die ecclesia; verum neutrius rei ulla occasio a poeta data est.

Eodem pertinet investigatio temporis quo Praxagora imperator creata sit; iam enim antequam in ecclesiam inierunt feminae constituerant imperatorem eam facere si prospere res sua successisset; cf. vss. 246-7:

καὶ σε στρατηγεῖν αἱ γυναῖκες αὐτόθεν  
αἰρούμεθ' ἦν ταῦθ' ἀπινοεῖς κατεργάση,

et στρατηγὸν eam ex ecclesia cum redierunt vss. 491, 500 vocant; nec non ipsa vs. 517 τῆς ἀρχῆς ait ἦν ἄρτι κεχειροτόνημαι quasi in ecclesia hunc honorem adepta sit.<sup>1</sup>

Si tamen a viris esset electa cur Chremes cum Blepyro viro eius vss. 372 seq. de rebus in ecclesia gestis colloquens de hac tam inopinata re tacet? Si non a viris, quonam tempore et quo loco est electa ut Blepyrus vs. 727 noverit eam στρατηγὸν esse? Certe in scaena nihil ille quidem audivit quo hoc cognoscere posset.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Iterum vss. 714-15: ἐμὲ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα δρᾶν ὑρημένην  
ἀρχειν.

Etiam Blepyrus — mirabile dictu — vs. 727 sese τὸν στρατηγὸν appellat quamquam nihil de hoc officio audivit nisi haec incerta Praxagorae verba (vss. 714-15), quae ἀρχοντα potius quam στρατηγὸν eam esse indicarent.

<sup>2</sup> Et dum pertinaciter rationem temporis dramatici ab Aristophane repetimus illud quoque haud alienum esse crediderimus rogare, videlicet quo tempore ἀνὴρ α'

## C

Adhuc quattuor fabulas inspeximus quas ultra diem poeta exten-  
dit, quattuor quae intra diem coartantur, in duabus tamen discre-  
pantiis repertis; nunc ad tres reliquas progrediamur quas licet  
intra unum contineantur diem<sup>1</sup> tamen ob res divinas magicasve in  
re temporali adhibitae a ceteris fabulis placitum est segregare.

I. *Ranae*

In terra fabula *Ranae* initium capit et sane prope ab Herculis  
domo, atque tempus initii perinde est incertum ac locus.

Dionysus autem longum iter praesagire videtur; dicit enim  
vss. 108-14:

ἀλλ' ὧνπερ ἔνεκα τήνδε τὴν σκευὴν ἔχων  
ἡλθον κατὰ σὴν μίμησιν, ἵνα μοι τοὺς ξένους  
τοὺς σὸὺς φράσεις εἰ δεούμην οἵτι σὺ  
ἐχρῶ τόθ' ἡνίκ' ἥλθες ἐπὶ τὸν Κέρβερον,  
τούτους φράσον μοι, λιμένας ἀρτοπώλια  
πορνεῖ' ἀναπαίλας ἐκτροπὰς κρήνας ὁδοὺς  
πόλεις διάτας πανδοκευτρίας.

Sed quam brevissimam quaerit viam.<sup>2</sup> Spretis autem iis quas per  
facetias Hercules vss. 120 seq. monstrat de longiore deinde certior  
fit; cf. vss. 136-7:

ἀλλ' ὁ πλοῦς πολύς·  
εἰδὺς γὰρ ἐπὶ λίμνην μεγάλην ἥξεις πάνυ.

Monstris quoque scatentem regionem peragrare oportebit,<sup>3</sup> qua  
praeterita iuxta Plutonis aedes erit.

comperire potuerit (cf. vss. 771-4) omnes et constituisse bona sua in publicum con-  
ferre et in viis de hac re loqui, cum ipse ante vs. 564 in scenam prodierit et usque  
ad chori saltationem inter vss. 729 et 730 actam eum mansisse inde patefactum sit  
quoniam et ei et Blepyro Praxagora causam suam destinarat probare atque dis-  
ceptatione finita adhuc ille in scaena est (cf. *ταῦτ' ἀρέσκει σφῆν;* vs. 710); atque  
cum e scaena vs. 729 decidet domum suam intret statimque post eam saltationem  
foras exeat supellectile secum ferens.

Porro unde in scenam vs. 1128 incedit Blepyrus et qua de causa per ancillam a  
Praxagora inquirendus est siquidem una cum Praxagora vs. 727 *εἰς ἀγορὰν* abiit?

<sup>1</sup> At de *Avibus* v. pp. 48 seq.

<sup>2</sup> Cf. vss. 117-18.

<sup>3</sup> Cf. vss. 143-51.

Itinere igitur longo perfecto vs. 312 demum per ventum est ad finem.<sup>1</sup> Nunc in Orci tenebris versamur; cf. vs. 273: Δι. τί ἔστι τάντανθοῖ; Ξα. σκότος καὶ βόρβορος.<sup>2</sup>

Quapropter et quod in Eleusiniis ferii taedis utebantur Athenienses<sup>3</sup> choreutae nunc utuntur.<sup>4</sup>

Etsi histriones qui Dionysi et Zanthiae partes agunt usque ad parabasin (vss. 674–737) in scaena consistunt interea duae sunt extra scaenam actiones ad quas intervalli nonnihilo opus est.

Aeacus enim qui vs. 478 se proripuerat ut gorgones arcesseret vs. 605 tres ministros reducit; atqui vix plus temporis eum afuisse quam quo versus hi recitarentur haud iniuria intellegimus. Sed inter vs. 478 cum Aeaco in interiore Orcum egresso nuntius de Dionysi adventu ad Proserpinam deferri poterat et vs. 503 cum Proserpinae ancilla in scaenam introit, regina illa terrestres cibos in pseudo Herculis delectationem paraverat. Cf. vss. 505–7:

Θε. ἐπεττεν ἄρτους, ἥψε κατερευκτῶν χύτρας  
ἔτνους δύ' ἡ τρέις, βοῦν ἀπηνθράκις' ὅλον,  
πλακοῦντας ὕπτα κολλάθους . . .

et 509–11:

. . . καὶ κρέα  
ἀνέβραττεν ὀρνίθεια καὶ τραγήματα  
ἔφρυγε κῷνον ἀνεκεράννυ

et 517–8:

. . . ὁ μάγειρος ἥδη τὰ τεμάχη  
ζμελλ’ ἀφαιρεῖν χὴ τράπεξ’ εἰσήρετο.

Haud longum intervallum hic requiritur, at sane longius quam ut intra versuum 479–502 recitationem coartetur.<sup>5</sup>

Vs. 673 Dionyso, Xanthia, Aeaco, servis in Plutonis aedes ingressis, dum parabasis vss. 674–737 redditur, inter Dionysum et

<sup>1</sup> Cf. vss. 438–40:

Χο. μηδὲν μακρὰν ἀπέλθης  
μηδ’ αἴθις ἐπανέρῃ με

ἀλλ’ ίσθ’ ἐπ’ αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος.

<sup>2</sup> Inde quoque hoc manifestum fit quod Xanthia vss. 285 seq. simulare potest se monstra conspicere quae Dionysus non conspicit.

<sup>3</sup> Cf. Soph. *O. C.* 1048–9, et schol. ad loc. (ed. Papageorg.).

<sup>4</sup> Cf. vss. 313–14, 339–40, 344, 351, 448, 1525.

<sup>5</sup> Cf. p. 66 n. 6.

Xanthiam diiudicatur<sup>1</sup> Dionyso arbitrium de Aeschylo Euripi-deque mandatur<sup>2</sup> variaque de certamine futuro<sup>3</sup> constituuntur.<sup>4</sup>

Nec diu exspectandum est dum habeatur id certamen; cf. *aὐτίκα μάλα* (vs. 785), *δόλιγον ὑστερον* (vs. 795).

Vss. 814–29 sequitur canticum inter quod vel etiam fortasse ante quod sacrificium paratum est<sup>5</sup> et libra calculique.<sup>6</sup>

Exinde histriones in scaena ad vs. 1482 permanent; dum autem carmen vss. 1482–1499 a choro agitur Pluto Dionysum Aeschy-lumque intra aedes cenae adhibet<sup>7</sup> atque nonnulla parat quae in terram reduces quibusdam vivis donent.<sup>8</sup>

Quamquam igitur et partim apud inferos haec fabula agitur via-que eo ferens longa primo videtur futura esse et cum semel in Orcum perventum est nec de die nec de nocte diutius potest dici nec ullum aut initii aut exitus temporis indicium est omnia tamen huius fabulae ita arte inter se coniuncta sunt ut deceat pronuntiare unitatem temporis haud secus in ea conservari atque in fabulis *Equitibus*, *Vespis*, *Thesmophoriazusis*, *Ecclesiazusis*.

## 2. *Pax*

Nec aliter videtur censendum de fabula *Pace*.

Incervo quidem tempore initium capit; nam licet scarabaeus pridie emptus<sup>9</sup> cibum nunc capiat<sup>10</sup> tamen cum id totum diem faciat<sup>11</sup> ex ea re temporis vestigia nequimus reperire.

C. vs. 79 Trygaeus scarabaeo insidens in caelum vehi coepit,<sup>12</sup>

<sup>1</sup> Cf. vss. 669–71, 738–42.      <sup>2</sup> Cf. vss. 810–11.      <sup>3</sup> Cf. vss. 797 seq.

<sup>4</sup> Utrum tunc iuravit Dionysus iusiurandum quod Euripides ei vss. 1469–70 exprobaret:

μεμνημένος νυν τῶν θεῶν οὓς ὄμοσας  
ἢ μὴν ἀπάξειν μ' οἰκαδ' αἴρον τοὺς φίλους

an ante fabulam initiam?

<sup>5</sup> Cf. vss. 871–3.      <sup>6</sup> Cf. vss. 1365 seq., 797, 1263.

<sup>7</sup> Cf. vss. 1479–81.      <sup>8</sup> Cf. vss. 1504–7.      <sup>9</sup> Cf. vss. 72–3.

<sup>10</sup> Vss. 1 seq.      <sup>11</sup> Cf. vss. 25–8

<sup>12</sup> Vss. 80–1: ὁ δεσπότης γάρ μου μετέωρος αἴρεται  
ἰππηδὸν ἐς τὸν ἄέρ' ἐπὶ τοῦ κανθάρου.

Cf. vss. 103–4: τὶ δ' ἄλλο γ' ή

ώς τὸν Δὲ' ἐς τὸν οὐρανόν;

et vss. 111–2, 126 seq., 135–6, 161, 172 seq.

iter quod e vss. 150-1<sup>1</sup> tridui fore putaremus nisi solitus esset Aristophanes his vulgatis militaribus<sup>2</sup> verbis τριῶν ἡμερῶν, interdum plane haud stricta temporis ratione habita, illudere; cf. enim *A* 197:

καὶ μὴ 'πιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν

*E* 1078-9:

Δη. τούτους ὁ μισθὸς τοῦς ἀλωπεκίοισι ποῦ;

Αλ. ἐγὼ ποριῶ, καὶ τοῦτον ἡμερῶν τριῶν

*V* 242-3:

Χο. χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμῶν ἡμῖν ἔφειτ' ἐν ὥρᾳ

ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὄργην τριῶν πονηράν

*P.* 311-12:

Χο. ἀλλ' ἀκούσαντες τοιούτου χαίρομεν κηρύγματος,

οὐ γάρ ἦν ἥκειν ἔχοντας σιτί' ἡμερῶν τριῶν

*ib.* 716:

Τρ. ὅσον ῥοφήσει ζωμὸν ἡμερῶν τριῶν.

Nec ab Aristophanis ingenio abhorret in hac fabula qua bellum usquequaque increpat pacem laudat, horum militarium verborum etiamsi minus rei dramaticae convenient hic illic reminisci. Quare et quoniam alibi indicia intervalli tanti desunt ioci tantum causa puto eum his tam usitatis verbis tam absurdā in re hoc loco abuti.

Trygaeus autem paulum moratus dum cum filiabus colloquatur vss. 154 seq. denuo scarabaeo incitato vs. 177 tandem iuxta deos<sup>3</sup> se esse sentit. Cf. vss. 177-8:

<sup>1</sup> Vss. 150-1: ὑμέσις δέ γ' ὑπέρ δῶν τοὺς πόνους ἐγὼ πονῶ  
μὴ βδεῖτε μηδὲ χέξεθ' ἡμερῶν τριῶν.

<sup>2</sup> Cf. Thuc. 1, 48, 1: λαβόντες τριῶν ἡμερῶν σιτία, Xen. *Anab.* 7, 2, 4: τριῶν ἡμερῶν σιτία, *Cyrop.* 5, 3, 35: τὰ ἐπιτήδεια τριῶν ἡμερῶν λαβόντες, ib. 6, 2, 38: τῶν . . . προειρημένων ἡμερῶν τὰ ἐπιτήδεια ἔχειν, nec non schol. in Ar. *A* 197, *E* 1079 (1077 Dind.), *V* 243, *P* 312 (311 Dind.). Quo addere licet Thuc. 7, 43, 2: παραγγεῖλας . . . πέντε ἡμερῶν σιτία, Xen. *Hell.* 7, 1, 41: ἔχων ἐπτὰ ἡμερῶν τὰ σιτία.

<sup>3</sup> Usque ad vs. 819 difficultis est rei scaenicae ratio; quia scilicet Trygaeum quamvis in caelum vectum re vera haud longe ab orchestra potuit poeta submovere, permixta re scaenica histrionem illum nunc cum caelestibus nunc cum terrestribus colloquentem facit. Nostra autem solum refert Trygaeum nunc in caelo esse, ut identidem monstratur (cf. enim vss. 103-4, 111-12, 126 seq., 135-6, 161, 177 seq., 720, 725, 819-41, 847, 852-4), choreutas contra in terra versari; cum enim eos sicut Trygaeum ad superos vehendos poeta non curaverit pedibus eos incedere necesse est ponamus.

ἀτὰρ ἐγγὺς εἶναι τῶν θεῶν ἔμοὶ δοκῶ  
καὶ δὴ καθορῶ τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Διός.

Quo in loco remanet usque ad vs. 729.

Interea autem duas statuit Aristophanes extra scaenam actiones quas mirum quanta brevitate conficit. Haud enim mortali celeritate Cydoemus e caelo Athenas Lacedaemonaque profectus et eo et in caelum rursus intra paucissimos versus<sup>1</sup> pervenit, quippe qui Polemi mandatis ταχὺ <πάνυ> (261), ἀνύστας τι; . . . ἡκέ νυν ταχύ (275) colaphisque (256) incitatus esset.<sup>2</sup>

Cum vss. 292-5 Trygaeus confidat nunc priusquam pistillum alterum fabricetur<sup>3</sup> Pacem ex antro erui posse cetera fabulae sine mora perfici Aristophanem fingere veri simile est.<sup>4</sup>

Nisi autem iam divinam potentiam tantum in hac fabula valere intellexissemus miraremur fortasse qui fieret ut Πανέλληνες isti<sup>5</sup> e Boeotia<sup>6</sup> Argis<sup>7</sup> Lacedaemonia<sup>8</sup> Megaris<sup>9</sup> Athenis<sup>10</sup> modo vss. 296-300 acciti iam vs. 301 praesto fierent.<sup>11</sup>

Rursum vss. 538-40 et 554 divinitus haec peragi sentimus:

ἴθι νυν ἀθρευ  
οἷον πρὸς ἄλλήλας λαλοῦσιν αἱ πόλεις  
διαλλαγέσσαι καὶ γελῶσιν ἀσμεναῖ  
ὡς ἄπαντ' ἥδη 'στὶ μεστὰ τάνθάδ' εἰρήνης σαπρᾶς.<sup>12</sup>

Qualibus in actionibus nimis accuratam terrestremque ut ita dicam temporis rationem a poeta exigere nequimus.

Trygaeus vs. 728 scarabaeo interim remoto causam habet cur alia via descensurus occasionem choro det parabasis canendae; qua vss. 729-818 perfecta histriones in scaena usque ad vs. 1126

<sup>1</sup> 263-7, 276-9.

<sup>2</sup> Cf. pp. 56 seq.

<sup>3</sup> Vs. 288 dixerat Polemus: ἐγώ δὲ δολένκ' εἰσώνω ποιήσομαι.

<sup>4</sup> Eodem spectant verba τήμερον (306), ἡμέρα . . . ἥδε (304), τὴν νῦν ἡμέραν (435), ω ποθενή . . . ἡμέρα (556).

<sup>5</sup> Vs. 302.

<sup>8</sup> Vs. 478.

<sup>6</sup> Vs. 466.

<sup>9</sup> Vss. 481, 500.

<sup>7</sup> Vss. 475, 493.

<sup>10</sup> Vs. 503.

<sup>11</sup> Verum more suo non diu Aristophanes chorum suum exspectare cogitur. Cf. p. 54.

<sup>12</sup> Bene mihi videtur suadere H. Sharpley (*The Peace of Ar.*, n. in vs. 539 praelestimumque praef. p. 28), poetam αἱ πόλεις locutum choreutas alium ex alia urbe contractos significavisse.

minutis profectionibus vss. 939-41, 943-7, 950-5, 1034-6<sup>1</sup> exceptis manent.

Inter vss. 855 et 868 aqua ad lavandum genialique lecto paratis<sup>2</sup> Opora lavatur, reliquaque in nuptias necessaria parantur, ut vss. 868-70 patet:

ἢ παῖς λέλουται . . .  
ἢ πλακοῦς πέπεπται σησαμῆ ξυμπλάττεται  
καὶ τἄλλ' ἀπαξάπαντα.

Tum festinare Trygaeus et servus,<sup>3</sup> inter vss. 1022-39 ovis intus trucidari,<sup>4</sup> Trygaeus ligna scindere,<sup>5</sup> mensam afferre,<sup>6</sup> ut vix speciem iusti temporis poetam praebere conari suspicemur.

Postquam histrionibus remotis chorus vss. 1127-90 cecinit nuptias Trygai et Oporae iam vss. 842-4, 868-70 inceptas nunc celebrari manifestum vss. 1191-2 fit ac multos iam ceneae intus<sup>7</sup> adesse:

Τρ. Ιοὺς Ιού·  
ὅσον τὸ χρῆμ' ἐπὶ δεῖπνον ἡλθ' ἐς τὸν γάμον.

Et ipse Trygaeus vs. 1315 domum intrat<sup>8</sup> cenaturus; vs. 1329 iam epulatus in scaenam prodit uxoremque evocatam in fine fabulae rus secum abducit.

Iam noctis tenebras adesse e vss. 1316-17 arguitur:

Χο. εὐφημεῖν χρὴ καὶ τὴν νύμφην ἔξω τινὰ δεῦρο κομίζειν  
δᾶδας τε φέρειν.

Ut rumor de nuptiis per oppidum divulgaretur amicique in cenan nuptialem convenire constituerent occasio vss. 729-818 data est

<sup>1</sup> Tryg. vs. 1033 fato: *καὶ τὴν τράπεζαν οἴσομαι*, domum ingresso, chorus vss. 1034-6 velut de absente loquitur; rediisse autem eum vs. 1037 inde constat quod chorus verbo *παίση* praesentem alloquitur.

<sup>2</sup> Cf. vss. 842-5, 868-70.

<sup>3</sup> Cf. p. 57.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1020-1, 1039 seq.

<sup>5</sup> Cf. vss. 1023-6, 1032.

<sup>6</sup> Cf. vs. 1033.

<sup>7</sup> Intra aedes cenan esse paratam demonstrari potest e vss. 1207-8 (*εἰσιτε ἐπὶ δεῖπνον*), 1265-7 (*τὰ παιδί· . . . ἔξερχεται . . . τὰ τῶν ἐπικλήτων δεῦρ' ίνα ἄττ'* φύσεται προαναβάλληται), 1302 (*ἄλλ' εἰσιωμεν*).

<sup>8</sup> Cf. vs. 1302.

cum Opora iam vss. 706–7 desponsa Trygaeus a scaena dum chorus parabasin cantat intus a fuit; omnia vero ante vs. 868 a servo parata sunt.<sup>1</sup>

Tum vss. 1127–90 inter alteram parabasin Trygaeus ipse videtur ceneae suae praesto fuisse. At quam ob rem vss. 1193 seq. aves et alia foras coquit? Propterea opinor quod pluribus quam opinio fuerat congregatis<sup>2</sup> plus cibi est acquirendum. Sed dum Trygaeus hoc negotium suscipit intercedunt gratulantes et plorantes; interim autem cena intus perpetuo celebrata pueri duo exeunt ut quae cantaturi sunt ante experiantur. Denique Trygaeus, ut van Leeuwen<sup>3</sup> censem, domum rursus ut cenam ad finem perducat intraturus omnia quae coquebat choreutis, quibus sane in aedes inire non licebat, nunc donat; dein intus remoratus vs. 1329 demum foras exit sponsam suam rus secum ablaturus.

Postremo tractandi sunt vss. 1198–1206, 1210, 1212–1213; quamquam enim quae hic dicuntur, velut:

et	οἵμ' ὡς προθέλυμνόν μ' ὡς Τρυγαῖ' ἀπώλεσας
et	ἀπώλεσάς μου τὴν τέχνην καὶ τὸν βίον καὶ τουτούν καὶ τὸν δορυξοῦν κεινούν
et	. . . . . πρὸ τοῦ οὐδεὶς ἐπρίατ' ἀν δρέπανον οὐδὲ κολλύβουν, νυνὶ δὲ πεντήκοντα δραχμῶν ἐμπολῶ

intervallo dierum aliquot idonea essent, haud minus rebus omnino uno die mutatis convenient, itaque quam penitus non quam diu mutatae res sint discimus.<sup>4</sup>

Omnibus igitur rebus quas attuli perpensis tempore diei incerto fabulam intellegimus exorsam vesperi eiusdem diei ad finem perduci.

<sup>1</sup> Cf. p. 44 n. 2.

<sup>2</sup> Cf. vss. 1191–2 ubi Trygaeus modo e domo qua iam cenatur egressus vociferat:

ἰοὺς ιούς.  
δσον τὸ χρῆμα' ἐπὶ δεῖπνον ἥλθ' ἐς τὸν γάμον.

<sup>3</sup> Ad vs. 1306.

<sup>4</sup> Cf. 7.

3. *Aves*

Restat fabula *Aves*, in qua denuo ita in res magicas tamquam immersimur ut iniquum sit rationem temporis a poeta exactam, dumtaxat in rebus caelestibus, repetere.<sup>1</sup>

E vss. 103-6;

Εν. κατά σοι ποῦ τὰ πτερά;  
 Επ. ἐξερρύκε. Εν. πότερον ὑπὸ νόσου τυνός;  
 Επ. οὐκ, ἀλλὰ τὸν χειμῶνα πάντα τῷρνεα  
 πτερορρεῖ τε καῦθις ἔτερα φύομεν

hieme haec agi poetam fingere enucleamus; certe posthac (vss. 1309 seq.) plumae in Pisthetaeri usum abundant.<sup>2</sup>

Sed non monemur a quo diei tempore fabula initium capiat, nec ideo quod Tereus lusciniaque obdormierunt<sup>3</sup> conicere possumus;

<sup>1</sup> Prius autem quam de tempore scribo intellegendum est ubinam gentium scaena locata sit. Primo igitur in terra Pisthetaerus Euelpidesque apparent esse loco ignoto quo pedibus pervenerint (cf. vss. 5-11, 35, 42), plus quam milibus centum Athenis distante (cf. vss. 5-6), neque in Graecia nunc esse (cf. vs. 409: ξένω σοφῆς ἀφ' Ἑλλάδος) verum ad Tereos domum (cf. vss. 15-16, 46-7, 100-1, alibi). Notanda quoque sunt illa terrae signa: τὸ δένδρον (vs. 1), ὅπου γῆς ἔσμεν (vs. 9), κατά τῶν πτερῶν (vs. 20), ὁδός et ἀτραπός (vs. 22), τὴν πέτραν (vs. 54), λίθῳ (vs. 56), τὴν ὄλην (vs. 92). Verbum igitur ἀνεπτύμεσθα tantummodo ut cum scaena personisque congruens sit vs. 35 adhibetur non ut verum exprimat, ut e verbis ἀμφοῖν ποδῶν evidens fit; sic etiam vs. 34 σοβόντος dicitur atque id genus complura alia per totam fabulam quae enumerare supersedeo. Hactenus ergo in terra versamur; verum paulatim in aëra scaena transfertur; cum enim vs. 155 interrogat Tereua Euelpides: οὗτος δὲ δὴ τίς ἐσθ' ὁ μετ' ὄρνιθων βίος; iam de regione ab avibus culta id est aëre cogitare incipimus, et vs. 175 tandem plane in loco altiore scaenam esse certiores sumus quando Pisthetaerus Tereua iubet: βλέψον κάτω . . . βλέπε νῦν ἄνω atque percontatus quid videat audit: τὰς νεφέλας γε καὶ τὸν οὐρανόν. Postea confirmatur haec opinio; cf. πᾶν τοτὲ τὸ μεταξὺ περιτειχέεν (vss. 551-2); ἐντευθεὶς ἐκ τῶν νεφελῶν καὶ τῶν μετεώρων χωρίων χαῦνόν τι πάντα (vss. 817-19), κήρυκα δὲ πέμψον τὸν μὲν ἐς θεοὺς ἄνω ἔτερον δ' ἄνωθεν αὖ παρ' ἀνθρώπους κάτω (vss. 843-4); ἀνεφθάρης (vs. 916), vss. 172-93, 970, alios multos.

Constat igitur in posteriore saltem fabulae parte in aëre esse scaenam.

<sup>2</sup> Postea autem cum vss. 1046-7 psephismatopola minatur:

καλοῦμαι Πεισθέταιρον ὑψρεος ἐς τὸν Μουνιχῶνα μῆνα

non dubium est quin de vero tempore Aristophanes hic scriperit; Liberalibus enim mense Elaphebolione fabula est docta (cf. *Arg.* II) circa duodeviginti diebus ante Kalendas Munichionis. Cf. p. 69 n. 6.

<sup>3</sup> Cf. vss. 81-2, 203, 208, 209 seq.

tantum in vss. 658–9 lucis aliquid videmus: quoniam enim chorus Terea hortatur:

τούτους μὲν ἄγων μετὰ σαυτοῦ  
ἀριστισον εὖ

antemeridianum tempus diei esse putamus.<sup>1</sup>

Prima quidem pars huius fabulae (vss. 1–1469) uno continetur die: ab initio enim usque ad primam parabasin, quae in vss. 670–800 consistit, histriones haud e conspectu abeunt; inter eam non solum homines per radiculam illam pennis instruuntur<sup>2</sup> sed ut e vs. 838 (*τοῖσι τεχίζοντι*) concludi potest posteaque certius redditur, Pisthetaerus muros aedificari imperat. Ad quod opus perficiendum contrahuntur triginta milia gruum a Libya (1136–7), ciconiarum decem milia (1139), triginta accipitrum milia (1179), plurimae aliae aves: *κρέκες* (1138), *χαραδροὶ καὶ τάλλα ποτάμι' ὄρνεα* (1141), *ἐρωδοὶ* (1142), *χῆνες* (1145), *νῆπται* (1148), *χελιδόνες* (1151), *πελεκάντες* (1155), aliae (1181). Quae scilicet magica celeritate ad novam urbem volant.<sup>3</sup>

Parabasi autem cantata rursus in scaena histriones adsunt ad alteram parabasin (vss. 1058–1117); et quoniam modo ante eam sacrificari coepit est extemplo post eam de eodem sacrificio nuntiatur, haudquaquam magnum temporis intervallum hic intericitur necdum supra diem extenta est fabula.

<sup>1</sup> Et opinor recte; atqui licet haec verba *ἄριστον*, *ἄριστᾶν*, *ἄριστιζεν*, *ἄριστοποι-εῖσθαι* id temporis de meridiano fere prandio Attici usurpaverint (cf. Hermanni *Lehrb. d. Griech. Antiq.* iv<sup>8</sup> pp. 127–9) tamen propterea non nimis in iis nisi licet quia ipse Aristophanes alias iis alio de tempore uitur. In *Avibus* enim (an cum vero tempore vs. 1499 res est?) postquam vs. 1499 dixit Pisthetaerus: *σμικρὸν τι μετὰ μεσημβρίαν* (*ἐστι*) idem vss. 1601–2 legatis pollicetur:

. . . καν διαλλαγτώμεθα  
ἐπὶ τοῖσδε, τὸν πρέσβεις ἐπ' ἄριστον καλῶ.

In *Av.* 786–9 appetit de eo tempore verbum *ἡριστησεν* adhibuisse quod fere in medium diem incidit. Ceterum in *Eccl.* 348–9 de mane agitur; cum enim tempus ecclesiae ineunda sit alter de histrionibus alterum sciscitur de uxore *ὅρθρῳ* egressa:

μῶν ἐπ' ἄριστον γυνὴ  
κέκληκεν αὐτὴν τῶν φίλων;

<sup>2</sup> Cf. vs. 649–55, 801–8.

<sup>3</sup> Nullius momenti verbum *δεκάτην* (vss. 922) censeo esse; nam ut pp. 57 seq. demonstratur e celeritate pendet omnis haec scaena. Itaque nihil aliud quam id quo nostra lingua “name-day” vocatur poeta ibi significat.

Ceterum nonnulla aguntur extra scaenam ad quae perficienda longius temporis spatium crediderimus esse necessarium, nec non ipse Aristophanes velut de longiusculo tempore praeterito loquitur. Miracula enim quaedam omittamus — adventum poetae, oraculorum vendoris, Metonis, episcopi, psephismatopole, aedificationem murorum,<sup>1</sup> quae omnia ridiculi causa tam festinanter accidisse facit Aristophanes;<sup>2</sup> vss. 1199 seq. demum ideo suspiccamur iam aliquatenus tempus processisse quod dei Irim ad homines demittunt ut sacrificia intermissa instaurari imperet. Nondum tamen clare haec res patefit; vss. 1262-8 planius cognoscitur; choreutae enim ita gloriantur:

ἀποκελήκαμεν διογενεῖς θεοὺς  
μηκέτι τὴν ἐμὴν διαπερᾶν πόλιν,  
μηδὲ <γέ> τιν' ἵερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἔτι  
τῆδε βροτῶν θεοῖσι πέμπειν καπνόν.

Interea autem requiescente hac re nuntius ad terram c. vs. 847 demissus<sup>3</sup> nunc vs. 1271 ad aves redit allatus quoae in terra post Nephelococcygiam conditam gesta sint. Vss. 1274-5 enim:

στεφάνω σε, ait, χρυσῷ τῷδε σοφίας οὐνεκα  
στεφανοῦσι<sup>4</sup> καὶ τιμῶσιν οἱ πάντες λεέ,

et vss. 1286-91:

πρῶτον μὲν εἰθὺς πάντες ἔξ εἰνῆς ἄμα  
ἐπέτονθ' ἔωθεν ὥσπερ ἡμεῖς ἐπὶ νομὸν,  
καπειτ' ἀν ἄμα κατῆραν ἐς τὰ βιβλία·  
εἰτ' ἀπενέμοντ' ἐνταῦθα τὰ ψηφίσματα·  
ώρνιθομάνουν δ' οὕτω περιφανῶς ὥστε καὶ  
πολλοῖσιν ὄρνιθων ὄνόματ' ἦν κείμενα,

denique vss. 1300-3:

ἡδον δ' ὑπὸ φιλορυθίας πάντες μέλη  
ὅπου χελιδῶν ἦν τις ἐμπετοιημένη  
ἢ πηνέλοψ ἢ χήν τις ἢ περιστερά  
ἢ πτέρυγες ἢ πτεροῦ τι καὶ σμικρὸν προσῆν.

<sup>1</sup> Comperire porro gestire nobis licet undenam sacerdos tam subito Chaerisque et haedus (cf. vss. 849, 851 seq., 857, 863, 855, 890, 901-2, 959, 1057) adsint; nec non coquus (cf. vs. 1637) subselliumque (cf. vs. 1552).

<sup>2</sup> Cf. pp. 56 seq.

<sup>3</sup> Cf. vss. 843-5.

<sup>4</sup> Quo dicto procul dubio Athenienses qui rei publicae fere omnes intererant continuo de senatus consultis populive scitis cogitaverunt.

Cum igitur audimus coronam decretam, consuetudinis apud homines factum ut cum e lectis mane surrexissemus ad libros volarent ceteraque illa, diebus aliquot videntur egere ea quae in terra gesta sunt, quamquam ut iam p. 47 vidimus omnia adhuc uno eodemque die necessario evenerunt.

Exinde sine pausa progreditur actio ad vs. 1469; ast cantico vss. 1470–93 peracto denuo tempus fugisse monemur<sup>1</sup> ut Prometheus verbis ita iis quae postea Pisthetaerus loquitur. Prometheus enim rogatus a Pisthetaero quo tempore Iuppiter perierit vss. 1515 seq. hoc responsum reddit:

ἐξ οὐτερού ύμενις ὥκισατε τὸν ἀέρα.  
θύει γάρ οὐδεὶς οὐδὲν ἀνθρώπων ἔτι  
θεοῖσιν οὐδὲ κνῆσα μηρίων ἄπο  
ἀνῆλθεν ὡς ἡμᾶς ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου,  
ἄλλ' ὠσπερεὶ Θεομοφορίους νηστεύομεν.  
ἄνευ θυηλῶν· οἱ δὲ βάρβαροι θεοὶ<sup>2</sup>  
πεινῶντες ὥσπερ Ἰλλυριοὶ κεκριγότες  
ἐπιστρατεύσειν φάσ· ἄνωθεν τῷ Διὶ<sup>3</sup>  
εἰ μὴ παρέξει τάμπορι<sup>4</sup> ἀνεῳγμένα  
ἴν' εἰσάγοιτο σπλάγχνα κατατετμημένα,

et post alterum canticum (vss. 1553–64) legatis qui per suffragium<sup>2</sup> creati erant ingressis novi aliquid Pisthetaero loquente discimus; seditione enim inter aves oborta<sup>3</sup> nonnullas condemnatas interfectas esse et nunc in prandium coqui.<sup>4</sup> Deos quidem iam p. 7 comperimus cito fame confici potuisse; at ob verba ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου et ob oppressam seditionem dies aliquot praeterisse videtur finxisse Aristophanes. Utinam autem certius edisseruisset. In prima quidem fabulae parte manifestum est intra diem cohiberi tempus, res autem in terra gestas plus quam hoc intervallum possere videri. Et tamen haud scio an potius ipsi Atheniensium *μεταβούλια* poeta ibi tamquam in aëre situs illuserit quam de rerum serie

<sup>1</sup> Nunc paulo post meridiem est (cf. vs. 1499 et p. 47 n. 1).

<sup>2</sup> Cf. vss. 1571, 1577–8.

<sup>3</sup> Vss. 1014–15 nihil dum huius modi acciderat:

Με. μῶν στασιάζετε;  
Πτε. μὰ τὸν Δὲ' οὐ δῆτ'.

<sup>4</sup> Cf. vss. 1579–80, 1583–5, 1589–90, 1601–2, 1637, 1688–91.

exposuerit. Hic contra non obscure de rebus longinquis sed aperte ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου scribit de iis quae in Nephelococcygia gesta sunt. Qua re haud iniquum fuerit ponere Aristophanem hic de pluribus diebus cogitasse praeteritis dum scaena vacuefacta chorus vss. 1470–93 reddit; quamquam certe id statuere nequeo.

Utcumque autem haec res se habet, quod reliquum fabulae est hoc eodem die videtur finiri; induitiis enim factis<sup>1</sup> Pisthetaerus vss. 1694–1705 dum canticum agitur ad Iovem advolat Basiliamque uxorem acceptam vs. 1718 secum defert.

Ut verbo igitur comprehendam ea quae de temporali huius fabulae longitudine disputavi, nec initii nec exitus temporis<sup>2</sup> indicium datur, intervalli inter vss. 1470–1493 dierum aliquot a poeta sumpti vestigia quaedam nec tamen certa inveniuntur.

Iam igitur undecim Aristophanis superstitibus comoediis perlustratis in quattuor vidimus poetam effecisse ut spectatores sentirent tempus dramaticum diem unum excedere, — nempe in *Acharnensibus*, *Nubibus*, *Lysistrata*, *Pluto*; — in *Avibus* quamquam ad unitatem temporis indicia maximam partem spectare tamen in utramque partem disputari posse; in reliquis vero fabulis, — *Equitibus*, *Vespis*, *Pace*, *Thesmophoriazusis*, *Ranis*, *Ecclesiazusis*, — unitatem temporis procul dubio conservari.

## II

Quo modo autem hanc unitatem effecerit et quidem fere solitus sit tempus dissipari prohibere paucis<sup>3</sup> volo absolvere.

Polczyk<sup>4</sup> quinque artificia apud recentiores comicos in unitate temporis servanda adhibita esse dicit; sed ipsum audi:

i. (p. 18) “Persaepe in primis fabulis personae scaenam intrœunt ut spectatores quid iam pridem factum sit ideoque in spectatorum conspectum dari non possit aut colloquio aut soliloquio comperiant, quo facilius quae sequuntur intelligantur.”

<sup>1</sup> Vss. 1630–1, 1683–4.

<sup>2</sup> Nisi quod ut supra diximus tempus est postmeridianum.

<sup>3</sup> Paucis ideo dico quia in hac re vestigia Felschii Polczykiique premens, qui iam quoad tragicos et novae comoediae auctores attinet plene disseruerunt, copiosius me eadem de re in Aristophane tractare vix tanti esse censeo.

<sup>4</sup> Op. iam p. 1 n. 2 cit. pp. 18–39.

2. (p. 28) “Atque etiam id saepe spectant poetae ut res quae in quemlibet diem incurrere possunt hoc ipso die geri faciant perinde ac si hic dies aptissimus sit.”

3. (p. 31) “Neque id silentio praetermittendum est quod poeta unitatis temporis observandae causa locorum et temporum intervalla ita neglegit ut res vel intra brevius vel longius tempus geri faciat quam consentaneum sit.”

4. (p. 38) “Praeterea poeta actiones quae intra unum diem finiri non possunt iam ante initium fabulae incipi facit.”

5. (p. 38) “Eodem pertinet quod quo celerius actio progre- diatur poeta saepissime personas eo temporis momento in scaenam producit quo actioni aptissimum esse videtur, quamquam personae etiam alio quolibet tempore in scaenam prodire possunt.”

Ut exempla cuiusque horum artificiorum generis ex Aristophane sumam, primum licet personas protaticas in *Equitibus* Demosthenem et Niciam, in *Vespis* Sosiam Xanthiamque, servos duos in *Pace* nominare, qui ita in principio fabularum partes agunt ut postquam brevi inter se collocuti sint mox sine ambagibus de rebus iam antea gestis — Paphlagonis mancipati superbia dominatione, Philocleonis morbo remedioque in Aegina quaesito, cantharo heri empto — spectatores commonefiant. Nec abest persona qui soliloquio hoc efficiat; testis esto Strepsiades de uxore filio aere alieno querens.

Secundi artificii minus in promptu sunt exempla. Ut quidem Boeotii latrones temperi impetum in Atticam facerent sane curavit Aristophanes; et fortasse probulum in *Lysistrata*, in *Ranis* mortuum existimaveris in hoc numero esse habendos, ceterum vix mihi videntur eodem modo in rem dramaticam inferri quo Io in Aeschyli *Prometheo*, nuntius Corinthius in Sophoclis *Oedipode Rege*, Aegeus in Euripidis *Medea*, Hanno in Plauti *Poenulo*, Chremes in Terenti *Andria* — ut pauca ex multis proferam quae cuilibet tragoedias novasque comoedias recordanti in mentem venient; immo ad inferos aliquis abiens mirum iudicaverit ni mortuo occurisset; probulum aerarium vel cottidie adire haud veri est dissimile. Atque fabulas omnes retractanti luce clarius fit dumtaxat in hac re minus apud Aristophanem fortuiti esse quam apud tragicos novaeque comoediae auctores.

Tertio autem, ut in tragœdia atque comoedia nova sic apud Aristophanem non erat inauditum actiones extra scaenam intra brevius tempus fingere quam re vera evenire potuerant.<sup>1</sup> Ut pauca vero exempla desumam, Amphitheus re vera haudquaquam minus diebus quattuor<sup>2</sup> in itinere illo stadiorum fere mille centum et

<sup>1</sup> Nec hoc loco eas actiones comprehendo quas ad longum intervallum aptas idcirco in fabulam intra per breve spatium peragendas poeta intulit ut risum moveret. Cf. pp. 56 seq.

<sup>2</sup> Vss. 130-2 enim a Dicaeopolide iussus octo drachmis acceptis indutias Dicaeopolidi privatas efficere inter vss. 132 et 175 Spartam proficiscitur, indutias pacificatur, Athenas reddit. Et usque in Lacedaemonia eum iter fecisse manifestum poeta vs. 175 (*ἀλλ' ἐκ Λακεδαλμονος γὰρ Ἀμφιθέος δότι*) reddit; atque terra non mari vss. 178-80, 185, quibus patet oppidum Acharnæs eum praeterisse.

Antequam autem tempus huic itineri necessarium statuam unum est notandum: nullum esse indicium — neque in vss. 130-2 ubi iter imperatur neque in vss. 175 seq. ubi revertent est — rem comicam augere conari poetam itinere longo intratam breve tempus coartando. Nihilo enim plus ludicri, quoad e verbis poetæ hic illuc conici potest, in hoc videtur esse quam cum in Soph. *Trachiniis* inter Trachin Euboeamque ultro citro commeatur. Currit quidem Amphitheus rediens, sed qua de causa? Quia (cf. vss. 176 seq.) irati Acharnenses, hoc facinus odorati, persequuntur. Quin etiam horum adventu confirmantur ea quae modo asserui. Nam si per incredibilem profectionis celeritatem poeta illuderet hi quoque deberent properare, quippe qui paene eodem tempore Acharnis, — iter secundum Thuc. 2, 21 stadiorum sexaginta, — quo Amphitheus adveniant. Sed re vera valde ad naturam vitamque adventus eorum fingitur, qui senectute infirmitateque corupti (cf. vss. 210 seq.) aegre fugientem sequuntur. Quod si iocari per nimiam Amphithei festinationem Aristophanes voluit, quam occasionis fuit neglegens! Hoc enim facere licuit cum Dicaeopolis Amphitheum mercede conducebat et iter imperabat; sin tunc noluit, at certe aliquid ludicri inferre debebat cum Amphitheus regressus periculum itineris novissimum narrabat; aut denique Acharnensis in scaenam profectis vel unus versus suffecisset quo cum fulmine Amphitheus compararetur vel si quid aliud ostenturum erat quo modo praeter Acharnæas vix præ velocitate aspectabilis volasset. Sed huiusmodi nihil dicunt, multa de senectute sua, de poenis Amphitheo destinatis.

Non igitur ludibundus Aristophanes iter longum tanto temporis spatio confidendum Amphitheo mandat. Quo probato ad quaestionem redeundum est quantum fuerit ei itineri tempus iustum, ad quam solvendam profecerimus forsitan si ea recordamus quae Xenophon (*Mem.* 3, 13, 5) Socratem narrat timenti Olympiam ire dixisse: “Nonne etiam domi,” ait, “totum fere diem ambulas? Item dum eo ibis spatiatus prandebis, spatiatus cenabis et obdormies; nonne novisti ambulationibus quas quinque aut sex diebus facis in longitudinem porrectis facile te Athenis Olympiam posse pervenire?” Quod iter Herodotus *Hist.* 2, 7 affirmat stadiorum mille quadringentorum octoginta quinque fuisse, stadiis fere 300 longius quam id

triginta quinque confiendo eguisset. Itaque nuntius Megara perferri Megarensisque Athenas pervenire eodem die nequivisset; via enim Megaris Athenas circiter ducenta viginti stadia fert sive terra ille circumiit seu ut Lysias (*Orat.* 12, 17) διέπλευσε Μεγαρόθεν. Et semel in maius distractit moram dum in *Thesmophoriazusis* Scytham intro misit stoream petiturum verum diutius usitato

quod Spartam fert; hoc enim Isocrates *Orat. Paneg.* 87 mille ducenta stadia longum esse aestimat, Plinius *N. H.* 7, 20, 84 — si textui credendum — mille centum quadraginta. Si igitur amicus Socratis ille iter in Olympiam quinque diebus confecisset, 297 stadia vel miliaria Anglica 33 diebus singulis ambulasset; sin sex diebus, 247 stadia vel mil. Angl. 27 semis. Sic idem Spartam 4 aut 5 diebus pervenire potuisset. Ille autem quem diurnis solitisque ambulationibus uti Socrates hortabatur nimis cunctabundus tardusque esset prae legato nostro qui ἔσπενδε (cf. vs. 179). Tridui igitur haud amplius, aut etiam bidui iter esse arbitraremur alte praecinctis. Quin etiam exercitum iumentis, scarinis, mulieribus impeditum constat e Xen. *Anab.* 1, 2, 11 (ἐντεῦθεν ἐξελαίνει σταθμὸς τρεῖς παρασκήγας τριάκοντα) tercentena stadia per dies singulos interdum transisse; immo vero de hoc ipso inter Athenas Spartamque itinere Isocrates *Orat. Paneg.* 87, recordatus procul dubio Herod. *Hist.* 6, 120, haec affirmat: φασὶ (sc. τὸν Δακέδαιμονίους) ἐν τρισὶν ἡμέραις καὶ τοσαύταις νῦν διακόνια καὶ χῖλια στάδια δειλθέντι στρατοπέδῳ πορευομένους. Quibus etiam velociores prodere antiqui potuerunt. Cf. Plin. *N. H.* 7, 20, 84: “Anystis . . . et Philonides . . . a Sicyone Elim uno die MCCCV stadia cucurrerunt,” vix credibilem cursum; atqui in Rawlinson Herod. 1, 72 (vol. 1<sup>st</sup> p. 197 n.) dicitur etiam hodie cursores quosdam Persicos mil. Angl. quinquagena diebus singulis transire posse nisi tempestate situve terrarum nimis impediantur.

Hactenus contendi ut appareret biduo hoc inter Athenas et Spartam iter posse confici, vel quadriduo duplicatum. Etiam Aristophanem ipsum tantum temporis spatium mente sua finxisse censem Rogers, Blaydes, Van Leeuwen (qui tamen male sibi hoc loco confidit) vss. 51–3 et 66 collatis. Amphitheus ergo illis iudicibus viatico egens nunc a Dicaeopolide accipit quantum legatus vs. 61 introductus merebatur, id est “pro singulis diebus binas drachmas.” Utrum fere tantam mercedem legati meriti sint necne, nihil ad rem; verum cum semel Amphitheum, a dis (cf. vss. 51–2) ad hoc opus constitutum, viatico poeta egere dixerit, dein legatum quendam binas drachmas in dies acceperisse, Amphitheo vero legato ipsi facto octo drachmas solvi, vix possum facere quin rear eandem eum in animo quam antea stipendi rationem habuisse, praesertim cum et tot dies ita cum tempore ad iter illud conficiendum necessario congruant et insuper veri simile mihi videatur esse poetam qui in quinque aliis huius fabulae locis (nempe vss. 70, 85–6, 89, 92, 523–9 quos ad Herod. *Hist.* 7, 41; 1, 133; 2, 73; 1, 114; 1, 1–5 Christ-Schmidt in *Gr. Literaturgesch.* vol. 1<sup>st</sup> p. 436 n. 4 Steinio praeente dicunt spectare) Herodoti *Historias* per facetias imitatus sit hoc quoque loco cursum celerem Philippidis illius imitari, quem Herodotus *Hist.* 6, 105–6 autumat ab Atheniensibus Spartam missum altero die eo pervenisse.

idcirco facit intus cunctari quod Euripides interea in scaenam est producendus.

Quarti autem artificii specimina e *Lysistrata* et *Ecclesiazusis* desumo; in hac enim fabula feminae feriis Σκίποις (cf. vss. 17–18) constituerant hoc die convenire, in illa *Lysistrata* iam ante fabulam inceptam curarat feminas colligendas.

Postremo, nonnumquam quasi in promptu ideo poeta habet personas et choros quo “celerius actio progrediatur.” In *Equites* enim ut semel vss. 143–6 manifestum redditur botulario opus esse, dictum factum obviam fit Agoracritus. Item in *Avibus* simulatque Pisthetaerus Iri repulsa vss. 1269–70 secum miratur nuntium ad mortales demissum nondum revertisse, encedit nuntius. Itaque vix Demosthenes *Eq.* vs. 242 socios magna voce ut opem ferrent imploravit cum praesto fiunt. Et in *Pace* chorus Atticorum alienigenarumque mirum quam cito vss. 296–300 acciti iam vs. 301 alias aliunde accurrunt.

Quae cum ita sint eorum artificiorum quae Polczyk demonstravit novae comoediae sicut tragediae propria esse nullum videmus veteri comoediae deesse.<sup>1</sup>

Hactenus perpendimus quibus in fabulis unitatem temporis Aristophanis neglexerit, in quibus observaverit et quis rationibus,— id quod primum videlicet in mentem occurrit rem temporalem adgradientibus quia tam diu tamque diverse de hac re quoad tragediam attinet disceptatur. Ceterum ulterius progredendum est et aliae res in quaestionem vocandae si rite de Aristophane, qui adhuc a viris doctis tantum ut neglegens rei temporalis notatur,<sup>2</sup> iudicium facturi sumus.

<sup>1</sup> Quae omnia non cum Polczykii sententia faciunt qui haec in novissima tractationis suae pagina addiderat: “Quibus rebus expositis satis docuisse mihi video quas artes poetae novae comoediae ad unitates et temporis et loci observandas adhibuerint. Quibuscum si quae Felschius invenit comparamus facere non possumus quin artifia et in tragedia et in nova comoedia adhibita maxima ex parte eadem esse confiteamur. Hac in re igitur novam comoediam plane a tragedia pendere concedendum est. At vetus comoedia nihil fere cum his artificiis commune habet quippe in qua ut rei factae species ita unitates loci et temporis plerunque neglegantur.”

<sup>2</sup> Cf. p. 20 n. 2.

## III

Nec denegandum est Aristophanem quippe qui uberrimo esset ingenio praeditus<sup>1</sup> interdum neglegentius in re temporali versari, ut cum verba τριῶν ἡμερῶν in *Pac.* vs. 151<sup>2</sup> adhibet, ἐχθές in *Lys.* vs. 700,<sup>3</sup> ἀπτίως in *Nub.* vs. 1149.<sup>4</sup> In *Avibus* autem cum parabasibus utatur priore tantum ut homines magica radicula alis instruantur murique aedificari coepti sint, posteriore ut sacrificium in scaena incohatum intra aedes perficiatur, deest tempus iis rebus quae in terra aguntur.<sup>5</sup> In *Thesmophoriazusis* quamquam vss. 78–80 dictum est hodie senatum non sedere nihilominus vs. 943 prytanis senatum affirmat Mnesilochi vinciendi esse auctorem.<sup>6</sup> Nec in *Ranis* cum in Orco rem gerit impeditur Aristophanes quin lucem tenebras noctem diem misceat; cf. enim quae sine discrimine scribit:

- vs. 155: Ήρ. ὅψει . . . φῶς κάλλιστον ὕσπερ ἐνθάδε  
 vs. 273: Σα. σκότος καὶ βόρβορος  
 vs. 342: Χο. νυκτέρου τελετῆς  
 vs. 370–1: Χο. . . . ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν  
     καὶ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας αἱ τῇδε πρέπουσιν ἔορτῆ  
 vs. 377: Χο. ἡρίστηται δ' ἔξαρκούντως  
 vss. 389–90: Χο. καὶ μ' ἀσφαλῶς πανήμερον  
     παῖσαι τε καὶ χορεῦσαι.  
 vss. 447–8: Χο. ἐγώ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἴμι καὶ γυναιξὶν  
     οὐ παννυχίζουσιν θεῷ φέγγος ιερὸν οἴσων  
 vss. 455–6: Χο. μόνοις γάρ ἡμῖν ἥλιος  
     καὶ φέγγος Ἰλαρόν ἔστιν.

At quinam, cum in regionem descendit ubi nec dies neque nox est, si inter noctem diemque ipse vacillare appetet, in hac re mortales eum possumus carpere? Sed gravius<sup>7</sup> in *Ecclesiazusis* errat quia

<sup>1</sup> Hic enim mea sententia scaenicorum Graecorum poetarum proximus ad nostratis Shakesperii indolem accedit.

<sup>2</sup> Cf. p. 42.

<sup>4</sup> Cf. p. 9 n. 3.

<sup>6</sup> Cf. pp. 31 seq.

<sup>3</sup> Cf. p. 22 n. 1.

<sup>5</sup> Cf. pp. 48 seq., 63.

<sup>7</sup> Et priusquam negligentias in lucem proferre desinamus addere licet nauci non habuisse Aristophanem tempus quod aut ante aut post fabulam incidit. Quamdiu enim errabant Pisthaerus Euelpidesque ante *Avium* initium si mille stadia am-

tempus legibus mulierum ferendis Praxagoraeque imperatori creandae non dat.<sup>1</sup>

Adhuc accedat id quod commodi causa p. 65 de minore cura in intervallis constituendis infrequenter adhibita disseritur.

#### IV

Cum iam neglegentias Aristophanis exposuerim ad rationes pergamus quibus usus intervalla in fabulis locaverit.

Et priusquam ad potiora adgrediar paucis velim de brevitate comica magicisque rebus absolvere. Interdum enim longiores actiones in brevius ideo coartatae sunt spatium ut cachinni spectatoribus commoverentur. Fortasse in *Ach.* vss. 1097-1142 huiusmodi aliquid fit dum servi mira cum alacritate efferunt varia quae Lamachus Dicaeopolisque postulant; at planius documentum e *Pac.* vss. 255 seq. capio. Cydoemus enim ob segnitiem vss. 255-6 correptus<sup>2</sup> raptim pistillum quaesitum primo Athenas demittitur; cf. vss. 259-62:

Πο. οἵσεις ἀλετρίβανον τρέχων; Κυ. ἀλλ' ὁ μέλε  
οὐκ ἔστιν ἡμῖν· ἐχθὲς εἰσώκισμεθα.  
Πο. οὐκον παρ' Ἀθηναῖν μεταθρέξει ταχὺ <πάνυ>;  
Κυ. ἔγωγε νὴ Δί· εἰ δὲ μή γε, κλαύσομαι.

Et re vera festinat: vix enim Trygaeus vss. quinque pronuntiavit cum ille revertitur. Sed irritus reversus ad Lacedaemonios abigitur; cf. vss. 274-5:

plius vagati sunt? Quamdui ante *Pluti* initium Chremylus et Cario qui in Attica immo ut videtur in urbe Athenis sunt necdum deposuerunt carnem coronasque quas e templo Apollinis videntur extulisse? Denique etsi fabula *Lysistrata* ante lucem primam exorditur tamen *Lysistrata* dicit se exspectare feminas ab ora maritima, ex Salamine, Acharnis, Boeotia, Peloponneso; et Calonica vs. 55 censem iam dudum oportere eas adesse. Vss. 65-6 introeunt rure Atticae, partim 'Αναγυρουντόθεν, siquidem hoc verbo inniti licet, — nec enim hoc statuere possum nec utrum *Kυνητας* re vera (vs. 852) Παιωνίδης sit an omnino fictus, ut van Leeuwen putat, e verbo κυνέν; certe inscriptio anni 394-3 (*I. G.* II, 8) quae nomini *Kυνητας* nihil de demo adicit nihil opis fert.

Nec pluris faciebat poeta praecavere ne Lacedaemoniis uxores domum ducturis (cf. vss. 1182-7, 1223-4) tempus luxque deessent.

<sup>1</sup> Cf. pp. 36 seq.

<sup>2</sup> Πο. παὶ παῖ Κυδούμε. Κυ. τὶ με καλεῖς; Πο. κλαύσει μακρά.

ἔστηκας ἄργός; οὐτοσὶ σοι κόνδυλος.

Πο. οὐκον ἔτερον δῆτ' ἐκ Δακεδαίμονος μέτει  
ἀνύστας τι; Κυ. ταῦτ' ὡ δέσποθ'. Πο. ἥκε νυν ταχύ.

Etiam ocius hoc iter conficit, quattuor enim tantum versibus interiectis rursus in caelo adest.

Ita vss. 937-62 properant Trygaeus et servus, ovem aram sacra ferre, facem quatere, hordea spargere: cf. haec:

Τρ. ίθι νυν ἄγ' ὡς τάχιστα τὸ προβατὸν λαβών.  
ἔγω δὲ ποιῶ βωμὸν ἐφ' ὅτου θύσομεν.  
Χο. ὡς πάνθ' . . . χωρεῖ κατὰ νοῦν, ἔτερον δ' ἑτέρῳ  
τούτων κατὰ καιρὸν ἀπαντᾷ.  
Τρ. ὡς ταῦτα δῆλά γ' ἐσθ'. ὁ γάρ βωμὸς θύρασι καὶ δή.  
Χο. ἐπείγετε νυν . . . οὐκον ἀμιλλήσεοθον;  
Τρ. . . περισθὶ τὸν βωμὸν ταχέως ἐπιδέξια.  
Οι. ἵδού· λέγοις ἂν ἄλλο· περιελήλυθα.  
Τρ. φέρε δὴ τὸ δαλίον τόδ' ἐμβάψω λαβών.  
σείνον σὺ ταχέως· σὺ δὲ πρότεινε τῶν δλῶν,  
καύτός γε χερνίτου παραδούς ταύτην ἐμοί,  
καὶ τοῖς θεαταῖς βῖπτε τῶν κριθῶν. Οι. ἵδού.

Cum tam incitati e scaena, ut vss. 938 et 949, abeunt, confidere possumus quam brevissimum tempus eos intus manere.

Item iocoso animo minutum vs. 1041 intervallum esse statutum dum servus viscera effert e verbis operantium patet:

Οι. ταυτὶ δέδραται. τίθεσο τῷ μηρῷ λαβών.  
ἔγω δ' ἐπὶ σπλάγχν' είμι καὶ θυλήματα.  
Τρ. ἐμοὶ μελήσει ταῦτά γ'. ἀλλ' ἥκειν ἐχρῆν.  
Οι. ἵδον πάρειμι· μῶν ἐπισχεῖν σοι δοκῶ;

Eodem autem modo Pisthetaerus et Manes plumas *An.* 1311 seq. proferunt.

Sed haec parva; in *Avibus* post vs. 847 Euelpides nuntium ad homines demiserat; iam vs. 904 etiam priusquam nova urbs exaedificata est poeta advenit, de quo Pisthetaerus vss. 956-7 ita queritur:

τουτὶ μὰ Δι' ἔγω τὸ κακὸν οὐδέποτ' ἥλπισα  
οὔτω ταχέως τούτον πεπύσθαι τὴν πόλιν,

iterum vss. 922-3:

οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἔγω  
καὶ τοῦνομ' ὕσπερ παιδίψ νῦν δὴ 'Θεμην;

Cui poeta respondet vss. 924-5:

ἀλλά τις ὡκεῖα Μουσάων φάτις  
οἰάπερ ἵππων ἀμαρυγά.

Item chresmologi mobilitatem Aristophanes irridet Metonisque nec non episcopi qui sorte se esse creatum simulat;<sup>1</sup> cf. ea quae ille avium dux vss 1033-4 indignatur:

οὐ δεινά; καὶ πέμπουσιν ἥδη ἐπισκόπους  
ἐς τὴν πόλιν πρὸν καὶ τεθναθαι τοῖς θεοῖς.

Porro ipsa tam cita urbis aedificatio ludibrio habetur; postquam enim nuntius magnifice de muris exstructis, avibus plurumis laborantibus disseruit, coryphaeus Pisthetaerum vss. 1164-5 percontatus:

οὗτος τί ποιεῖς; ἀρα θαυμάζεις ὅτι  
οὕτω τὸ τεῦχος ἐκτετέίχισται ταχύ;

responsum fert:

νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε· καὶ γὰρ ἄξιον·  
ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεται μοι — ψεύδεσιν.

Et in *Lysistrata* rei comicae prodest praecomen miserum Spartam et legatos inde Athenas ocios solito festinare. Cum enim Lampito idem iter factura esset Lysistrata dixerat vs. 243: σὺ μὲν βάδιξε. At ambulatione nunc nihil opus est; itaque Atheniensi vss. 1009-10 hortato:

ἀλλ' ὡς τάχιστα φράξε περὶ διαλλαγῶν  
αὐτοκράτορας πρόσθεις ἀποπέμπειν ἐνθαδί

vs. 1013 praeco respondet:

ποτάμοι· κράτιστα γὰρ παντῷ λέγεις.

Iam vs. 1072 igitur adveniunt legati, nec dubito quin incitato gradu in scaenam prodierint.

Verum praeterquam has res comica brevitate confectas etiam res divinas magicasque in fabulis offendimus, quibus terminos temporales certos ponere nequimus. Cum enim homines in aves mutandos curat poeta vel urbem in aëre exstremam vel Chremylum a Pluto locupletandum vel Trygaeum ad superos vehendum vel Demum recoquendum, habenas Pegaso immittamus necesse est.

<sup>1</sup> Vss. 1022-3.

Sed in utrisque generibus diiudicandis aequum censeo esse e verbis poetae ipsius statuere utrum tale efficere velit necne; ac nisi quid in verbis ipsis reperiatur quod iocularem magicamve rem agi probet, rationem a poeta accuratam exigere constitui.

Ad inceptum autem redeo. Ut igitur veritatis species in temporali re tractanda aliquatenus servetur, loci ad intervalla<sup>1</sup> constituenda maxime idonei sunt cantica histrionibus e scaena digressis cantata, praesertim ea quae nihil ad rem dramaticam pertinent eoque certius mentes spectatorum a fabula breve tempus sevocabant; omnium autem praestantissimus locus est parabasis in qua specie fabulae omnino in praesentia praetermissa ut spectatores ipsos hortetur vel doceat opera a poeta datur.

A

Nunc igitur inspiciamus quem ad modum actiones extra scaenam confectas carminibus Aristophanes obtexerit.

In *Acharnensibus* inter parodon (vss. 204–236), nullo in scaena histrione praesente, Dicaeopolis quae necessaria sunt ad Dionysia rustica agenda intus parat servosque et filiam excitatos docet. Dum parabasis autem vss. 626–718, scaena rursus vacante, cantatur, foedus in columna incidentum curat Dicaeopolis, fama macelli Megara perlata Megarensis Athenas venit. Stasimo primo (vss. 836–59) histrionibus a scaena remotis tempus longius — fortasse duo menses<sup>2</sup> — poeta facit praeterlabi Boeotiumque Thebis proficiisci. Postremo dum stasimon tertium vss. 1143–73 de alienis rebus conficitur, Lamachus Boeotiam versus profectus latrones secutus saucius reportatus est, Dicaeopolis autem feriis Χοντρινού interfuit et vicit, ebrisque factus nunc cum duabus amicis in scaenam revertitur.

In *Equitibus* tria sunt notatione digna intervalla quorum primum et multo longissimum in quo Paphlago et Agoracritus apud senatores nunc huic nunc illi faventes disputant, Agoracritus corona donatur, sententiae dicuntur, Paphlago multo tumultu comprehenditur, Agoracritus varia coempta patribus distribuenda curat, in

<sup>1</sup> Actiones brevissimas, sicut cum Dicaeopolis domum init corbem carbonum (*Ach.* 328–30) elaturus, atque id genus multa, silentio praetereo.

<sup>2</sup> Cf. supra, pp. 16 n. 3 et 19 seq.

priorem parabasin (vss. 498–610) incidit. Dum altera parabasis vss. 1264–1315 agitur, Demus iuvenis aliquo modo ab Agoracrito factus in arce Atheniensium locatus est. Tertium autem intervallum dum cibos parant Paphlago et Agoracritus in stasimon incidit quod vss. 1111–1150 de Demo canitur; sed unus histrio in scaena interim manet nec intervallum longum est.

In *Nubibus* inter parabasin priorem (vss. 510–626) Strepsiades in schola Socratica satis diu moratus est ut manifestum Socrati faceret stultum se esse nec in studiis sophisticis quicquam profec-  
turum; inter alteram vero parabasin (vss. 1115–1130) quinque aut sex dies intercesserunt Phidippidesque rudi a Socrate donatus est. Denique intus Strepsiades filiusque cenant dum vss. 1303–20 stasimon agitur.

In *Vespis* quoque tria sunt intervalla potiora. Vss. 1009–1121 enim choro parabasin reddente longissimum interiectum est intervallum dum tempus dramaticum a matutino in vespertinum mutatur. In priore vero stasimo (vss. 1265–91), in quo histrionibus amotis de Atheniensibus quibusdam nec non de certamine inter Aristophanem et Cleonem orto disseritur, convivium apud Philoc-  
temona habetur, Philocleon temulentus factus molestum se non nullis praebuit. Tertium spatium, dum scaena rursus vacua ab histrionibus facta domi bibitur et saltatur, in stasimon alterum (vss. 1450–1473) incidit.

In *Pace*, quamquam e natura fabulae difficilius fit tempora certe definire, actionum quae extra scaenam fiunt potiores sunt hae: parabasin vss. 729–818 choreutis agentibus Trygaeus e caelo in terram descendit amicosque, credo, de nuptiis futuris certiores facit; intra secundam parabasin (vss. 1127–90) multi ad nuptialem cenam congressi nunc convivantur, nec non pace recuperata tabernarii aliquot magna sive prosperitate seu calamitate affecti sunt.<sup>1</sup> Vss. 1316–28 scaena a histrionibus vacante Trygaeus ipse cenae nuptiali interest.

Ut *Aves* autem in praesentia omittam, in *Lysistrata* ut spatium quinque dierum veri similius videatur eo cantico utitur Aristote-  
ialogum.

<sup>1</sup> Animadvertisendum autem est, ut haec efficerentur ambas praebuisse poetam parabases et alia cantica vss. 856–67, 910–21, 939–55, 1023–38, intermixtumque dialogum.

phanes quod pro parabasi vss. 614–705 canitur; et priusquam Cinesias desiderio confectus prodeat stasimon primum additur, in quo (vss. 781–828) de semichororum inter se disceptatione agitur, histrionibus utroque tempore a scaena absentibus. Similiter dum praeco Lacedaemonius domum volat legatique Sparta Athenas festinant atque Athenienses legati creatur duo cantica histrionibus rursus a scaena dimotis poeta adhibet, quorum prius id carmen est quod alterius parabasis (vss. 1014–42) vicem obtinet nec de vera re dramatica agit sed de semichororum inter se reconciliacione, alterum stasimon secundum est quod vss. 1043–1071 histrionibus nondum in scaenam reversis in spectatores ipsos intenditur. Cuiusmodi est tertium stasimon quo ultimum intervallum vss. 1189–1215 — dum cena delectantur viri — obtegitur.

In *Thesmophoriazusis* autem dum fama Euripidis facinoris divulgabatur chorus quattuor cantica praebuit, parodon nempe vss. 295–371 et tria carmina vss. 433–442, 459–65, 520–30, quae omnia histrionibus praesentibus de re dramatica agebant. Ut Mnesilochus vero vertigine laboret, Euripidesque de periculo eius certior factus sub-sidio veniat, ac prytanis senatu auctore Scytham ad Mnesilochum Vinciendum adducat, quattuor chori carmina Aristophanes adhibet, quorum tria (vss. 655–86, 699–701, 707–25) praesentibus histrionibus acta ad rem dramaticam cohibentur, quartum (vss. 785–845) quamquam praesente Mnesilocho tamen parabasis est. Dein scaena vacante dum chorus stasimon primum vss. 947–1000 specie feminarum more suo in Thesmophoriis ludentium agit, Mnesilochus intus vincitur. Denique vss. 1136–59 dum secundo stasimo feminae deos precantur Mnesilocho Scythaque in scaena manentibus Euripides tibicinam et saltatricem nactus ipse se in aniculae speciem exornat.

In *Ranis* tribus intervallis cantus accommodati sunt: dum enim Aeacus ministros petit, duo cantica (vss. 534–48, 590–604) praesentibus histrionibus a choro et persona singula canuntur; dum et Dionysus Xanthiaque apud Plutonem et Proserpinam dinoscuntur et Dionysos arbitrium certaminis mandatur nonnullaque alia quae ad certamen pertinent constituuntur parabasis (vss. 674–737) redditur spectatoribus; denique dum Aeschylus Dionysusque intra aedes apud Plutonem cenant et dona aliqua quibusdam

Atheniensibus parantur, quintum stasimon vss. 1482–99 scaena ab histrionibus vacuefacta et de fabula et de Socrate choreutae cantant.

In *Ecclesiazusis* vero sicut in *Pluto* chori partes prae dialogo valde minutae sunt; post agona enim (vss. 571–709) nullum canticum exstat. Verbo *χοροῦ* tamen post vs. 729 iterumque post vs. 876 in codice *R* posito, et post vs. 1111 ab editoribus nonnullis<sup>1</sup> suppleto, saltationes chori canticorum vice intellegimus fuisse. Inter illam igitur saltationem quae post vs. 729 parabasis loco<sup>2</sup> exstat, maximum intervallum interici comperimus; non solum enim *ἄνδρα α'* bona sua colligere et rem iam per urbem divulgatam esse sed diem in vesperum nunc vergere, cenam parari. Dum autem inter vss. 876 et 877 choreutae saltant, cenant omnes Athenienses vesperi. Inter illam ultimam saltationem quae ab editoribus ponitur post vs. 1111 cena ad finem perducta est.

In *Pluto* quoque praeter parodon (vss. 253–321) nullum est chori canticum. Et dignum dictu est nullam esse in hac fabula meram saltationem quin absentibus histrionibus agatur.

Dum chorus igitur parodon vss. 253–321 et saltationem scaena vacua inter vss. 321 et 322 reddit, rumor de Chremylo subito locupletato per tonstrinas perlatus est. Ea autem chori saltatio quae inter vss. 626 et 627 intericitur in proprio parabasis loco exsistit;<sup>3</sup> et commode hoc loco maximum locatur intervallum, nocte intercedente dum Plutus in Atheniense Asclepieum inductus sanatur, quo facto in mane pervigilatur. Saltationibus vero inter vss. 626–627 et 770–1 finitis Plutus a templo in scaenam ingreditur. Dum inter vss. 801–2 saltatur domus Chremyli divitiis completa est, servi nova luxuria lasciviunt. Et post saltationem inter vss. 801–2 habitam comperimus delatorem hoc die fame esse affectum; post eam quae inter vss. 958–9 incidit diem iam in vesperum vergere; post eam autem quae versum 1096 sequitur Herme ingresso etiam caelestes fame laborare; denique post eam quam editores fere

<sup>1</sup> Cf. XOPOT von Velsen, (XOPOT) Blaydes, “saltat chorus” van Leeuwen, (Stasimon II) White (*The Verse of Greek Comedy*, p. 456). Certe hoc loco scaena ab histrionibus vacua est.

<sup>2</sup> Cf. Whitei op. cit. p. 455.

<sup>3</sup> Cf. Whitei op. cit. p. 457.

inter vss. 1170-1 locant<sup>1</sup> sacerdotem paene fame confectum et templum multis intrantibus iam esse defoedatum.

Fabulam *Aves* seposui ut in qua minus curiose Aristophanes intervalla tractaverit. Quoad enim res in Nephelococcygia gestas attinet parabasisibus abutitur quippe quarum priorem tantum ut magica radicula homines in aves mutentur atque — id quod postea conicimus — ut urbem aves incipient exstruere usurpet, alteram tantum ut sacrificium coram spectatoribus incohatum intra aedes finiatur. Veri autem similius fuisset ante priorem parabasin urbem aedificari imperare, nuntiosque ad deos hominesque dimittere.<sup>2</sup>

Verum ut ad quaestionem accedam quo modo carminibus actiones extra scaenam obtegendas poeta curaverit, intra vss. 851 et 902, dum histrionibus in scaena versantibus syzygia prima a sacerdote et choro redditur, ridiculi causa poeta lyricus aliquie Nephelococcygiam maturant ascendere. Dum autem murorum aedificatio in parabasi priore, ut videtur, incepta ad finem perducitur excubiaeque locantur, cum cantica vss. 851-8, 895-902 tum parabasis altera (vss. 1058-1117) adhibentur. Profactioni vero nuntii in terram, coronae donationi, imitationi apud mortales avium vitae, nuntii redditui assignantur et prima secundaque syzygiae et altera parabasis (vss. 851-8, 895-902, 1188-95, 1262-8, 1058-1117). Intra eadem haec et stasimon primum (vss. 1313-34) homines in Nephelococcygiam pervenire coeperunt.<sup>3</sup> Post stasimon secundum (vss. 1470-93) quo histrionibus a scaena remotis Cleonymus et Orestes ludificantur, deos fame et discidio perturbatos post urbem conditam discimus. Avium seditio, de qua vss. 1583 seq. certiores fimus, quolibet tempore post parabasin alteram inceptam oriri potuit; at cum continuo memoretur post id tertiae syzygiae carmen quod vss. 1553-64 de rebus alienis — Socrate nempe et Pisandro — agit, consentaneum est concludere intra id carmen eam incidisse.

<sup>1</sup> Videlicet Hall et Geldart, Bergk, van Leeuwen, White, op. cit. p. 458 (Stasimon V.), ut paucos nominem. Atque ut in *Ecl.* vs. 1111 ita hic animadvertisendum est post hunc versum histrionibus egressis inanem breve tempus scaenam esse relictam.

<sup>2</sup> Sed in hac fabula poeta ingeniosissimus videtur non flocci fecisse nec tempus nec spatium nec omnino verisimilitudinem.

<sup>3</sup> Sed incertum est quo tempore Athenis profecti sint.

Postremo inter reliquum tertiae syzygiae canticum (vss. 1694-1705), quo Gorgias et Philippus irridentur, Pisthetaerus ut in caelum volavit pace inter aves et deos conciliata uxorem a Iove acceptam dedit.

Ut igitur paucis comprehendam ea quae de intervallis per cantica obiectis exposui, sequentia sunt animadvertisenda:

1. In *Equitibus*, *Nubibus* (bis), *Vespis*, *Pace* (bis), *Lysistrata* (bis), *Thesmophoriazusis* longissimae extra scaenam actiones in parabases incident. In *Avibus* autem priore parabasi non bene utitur poeta; altera una cum aliis canticis etsi non in *Nephelococcygia* at in terra et apud deos longiores obtigit actiones. In *Acharnensibus* parabasis ad actionem parabasi quidem dignam operiendam adhibetur, longissimum tamen intervallum in stasimon primum videtur incidere. In *Ranis* duorum intervallorum potiorum utrum longius sit nequit discerni, neque magni id refert; ambo enim scaena ab histrionibus vacante canticis obtieguntur quae nihil ad rem dramaticam pertinent, alterum parabasi, alterum eo carmine quo Socrates ludibrio habetur. Denique in *Ecclesiazusis* et *Pluto*, quibus desunt parabases, eae saltationes quae vice parabasis funguntur potissima intervalla operiunt. Maxima igitur ex parte parabasi quippe quae aptissima esset ad potiora intervalla celanda patet Aristophanem esse usum.

2. Sed aliud quoque canticorum genus, quo scaena ab histrionibus inani relicta sicut in parabasi de rebus a fabula alienis agitur, modo non aequa idoneum est ad intervalla occultanda atque ipsa parabasis. Cuiusmodi carminibus pluries Aristophanes utitur, videlicet semel in *Acharnensibus*,<sup>1</sup> *Vespis*,<sup>2</sup> *Ranis*,<sup>3</sup> bis in *Thesmophoriazusis*;<sup>4</sup> ter in *Avibus*<sup>5</sup> et *Lysistrata*.<sup>6</sup> Quo addendae sunt saltationes chori duae in *Ecclesiazusis*,<sup>7</sup> sex in *Pluto*,<sup>8</sup> propterea quod per se ipsae spectatores delectantes nec ulla ratione ad rem pertinentes perinde mentes spectatorum a fabula breve tempus

<sup>1</sup> Vss. 1143-73.

<sup>5</sup> Vss. 1470-93, 1553-64, 1694-1705.

<sup>2</sup> Vss. 1265-91.

<sup>6</sup> Vss. 781-828, 1043-71, 1189-1215.

<sup>3</sup> Vss. 1482-99.

<sup>7</sup> Inter vss. 876-7, <1111-12>.

<sup>4</sup> Vss. 947-1000, 1136-59 (cf. p. 65 n. 6).

<sup>8</sup> Inter vss. 321-2, 770-1, 801-2, 958-9, 1006-7, <1170-1>.

sevocant atque id genus carminum modo memoratum vel stasima illa Agathonis.<sup>1</sup>

3. Sed praeterquam haec duo genera quae ita rem gerunt ut mentes spectatorum a iusta re dramatica in res alienas convertant tertium quoque minusque commodum raro<sup>2</sup> adhibet Aristophanes in quo licet histriones a scaena absint tamen de fabula ipsa agitur. Cuiusmodi carmina quattuor<sup>3</sup> omnino apud Aristophanem agnosco, videlicet *Ach.* vss. 836–59, *Nub.* vss. 1303–20, *Vesp.* vss. 1450–73, *Pac.* vss. 1316–28.

4. Quartum et pessimum genus est id quod histrionibus praesentibus de re dramatica agit; quale *Pac.* vss. 856–67 adhibetur dum Opora intus lavatur aliaque in nuptias parantur. At in *Avibus*<sup>4</sup> recte Aristophanes et concinne hoc genus carminis usurpavit quo tempore illi mobiles circulatores intra breve tamque male opertum intervallum ad urbem novam properant.<sup>5</sup>

Quae cum ita sint<sup>6</sup> haud a vero abhorret dicere Aristophanem plerumque carmina sua ad intervalla ut ita dicam lenienda bene disposuisse.

<sup>1</sup> Cf. Arist. *Poet.*, 1456<sup>a</sup> 29 seq.: διὸ ἐμβόλιμα ἔδουσιν πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιντού. καίτοι τὶ διαφέρει ή ἐμβόλιμα ἔδειν ή εἰ ρῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἀρμότοι ή ἐπεισόδιον δλον;

<sup>2</sup> Sane crebro talia carmina per fabulas adhibuit ita tamen ut raro solis eis uteretur ad intervalla operienda.

<sup>3</sup> Nihil de eo cantico statuere possumus quod propter verbum ΧΟΠΟΥ post. *Nub.* (χοροῦ in cod. *Ven.*, χ in cod. *Rav.*) vs. 888 repertum choreutas conicitur cecinisse dum Socrates τῷ λόγῳ peteret.

<sup>4</sup> Vss. 851–8, 895–902.

<sup>5</sup> In *Equit.* vss. 1111–50 satis manifestum est maturare adulatores illos dum inter se contendunt uternam Demum officiis cumulatis sibi adsciscat; et in *Ran.* vss. 534–48, 590–604 haud errat poeta talibus carminibus usus dum Aeacus abest ministros petitum, nam ipse vs. 478 minatus erat: δρομαῖον δρυῆσω πόδα. Quales actiones ut plane incitatae ita nullo artificio egent quo tempus interea praeteritum celetur.

<sup>6</sup> Priusquam ab hac re discedam monendum est ideo carmen quod in *Thesm.* vss. 1136–59 continetur ad ea carmina p. 64 n. 4 me adiecisse quae histrionibus absentibus de alienis rebus agunt, quia etsi Mnesilochus et Scytha in scaena adsunt tamen nihil aliud agunt quam eventura exspectant, et quoniam Mnesilochus idcirco vinctus erat ut praetereuntibus ludibrio esset, quantumvis intervallum eo in scaena manente animis fingere nobis licet.

## B

Sunt autem sex longiores extra scaenam actiones quae etsi plane tempus datum natura superant tamen nullo cantico obteguntur.

Quarum maxime insignis est illa Amphithei in Spartam profectio; in *Vespis* inter vss. 1252–64 sumendum est cenam a servo intra aedes aut coqui aut iam coctam ad exportandam parari;<sup>1</sup> in *Thesmophoriazusis* inter vss. 1201 et 1210 Scytha cum saltatrice concubit;<sup>2</sup> in *Ran.* inter vss. 478–503 rumore de pseudo-Herculis adventu ad Proserpinam perlato panem, ius, bovem solidum, placentas, aves, alia coquenda, vinum miscendum curavit;<sup>3</sup> in *Ecclesiazusis* inter vs. 310 cum feminae in ecclesiam abiere et vs. 478 cum revertuntur, in ecclesia peracta sunt cum omnia quae vss. 171–240 Praxagora coram spectatoribus egerat tum alia complura;<sup>4</sup> denique in *Pluto* Cario iussus cito agricolas accire vs. 229 rus longius<sup>5</sup> profectus vs. 253 iam congregatos in scaenam inducit.

At ne has quidem actiones, exceptis exiguisima illa inter *Vesp.* vss. 1252–64 sumenda et ea quae *Ran.* vss. 479–502 ponitur,<sup>6</sup> omnino nullo artificio levatas Aristophanes reliquit. In *Acharnensisibus* enim velut scaenae mutatio fit dum Amphitheo absente Theorus Thracesque ad tribunal vocantur dein dolo malo ecclesia a Dicaeopolide perturbata omnes praeterquam Dicaeopolis a scaena abeunt.<sup>7</sup> In *Thesmophoriazusis* contra et *Ecclesiazusis* *Plutoque* scaena omnino aliquamdiu histrionibus vacat: in *Thesm.* enim Mnesilochus Euripidesque vs. 1209 e scaena exque conspectu prius sese facessunt quam Scytha redit; in *Eccl.* bis vacuefacta est scaena, et postquam chorus vs. 310 in ecclesiam abiit et postquam

<sup>1</sup> Cf. vss. 1250–2.      <sup>2</sup> Cf. vss. 1193–8, 1210–11.      <sup>3</sup> Cf. vss. 504–11, 517–18.

<sup>4</sup> Cf. p. 35.

<sup>5</sup> Cf. p. 3.

<sup>6</sup> Neque excusare possumus magicam divinamve facultatem; nimis enim terrestres sunt cibi, saltatrices, coquus; immo imperfecto in verbis tempore (cf. ξεπέττεν, ἦψε 505; ἀπηνθάκις<sup>8</sup> 506; ὄπτα 507; ἀνέβραττεν 510; ἔφρυγε, ἀνεκεράννυ 511) haud puncto temporis haec esse acta ostenditur. Cf. p. 40.

<sup>7</sup> Cf. quae R. G. Kent in *Trans. Am. Philol. Assoc.* vol. 37 (1906) p. 48 scribit: ". . . the dismissal of the assembly . . . leaves Dicaeopolis alone on the stage; this, with the consequent stoppage of the action of the play, gives the opportunity for the lapse of time necessary for Amphitheus' journey."

Blepyrus Chremesque vs. 477 exierunt; in *Pluto*, absente Carione rus iam misso, cum Chremylus et Plutus intra aedes vs. 252 se recipiunt nemo in scaena relinquitur. Scaena autem vacuefacta facilius fit ut tempus processisse quantum poeta voluit spectatores intellegant.

C

Hactenus de actionibus extra scaenam longioribus agitur; nunc restat ut paucis absolvam quem ad modum in *Pace* et *Ranis* duas eiusmodi in scaena intra brevius tempus coercendas Aristophanes tractaverit. In illa enim fabula cum Trygaeus ad superos coram spectatoribus esset vehendus, artificio aliquo praecavendum fuit ne citius videretur eo pervenire. Vide igitur quid poeta fecerit; non solum enim velut gradus altitudinis patefecit cum eques ille vss. 164-5 quae in Piraeo agantur simulat se intueri posse et vss. 177-8 iuxta deum aedes esse<sup>1</sup> verum etiam metris pausisque eodem consilio apparent usus esse. Ut enim Richteri verbis<sup>2</sup> utar:

“Iam quum supra suilis sepem exsurrexit sepes, non leni aequabilique tractu in auras se attollit, sed abrupto, qui metro anaestico conveniat, cursumque equi citatum, quem nostrates ‘Galop’ appellant, imitetur. Neque tamen cito assurgit Trygaeus sed lente saepiusque intermisso itinere. Ita v. 91-101 tantum moveri non attolli scarabaeum, v. 102-113 quiescere prorsus, v. 114-123 iterum moveri, v. 124-153 iterum quiescere vel ex metrorum vicissitudine perspicuum est . . . Primum igitur subsistit Trygaeus cum machina sua v. 90, cum servo altercaturus, ubi vix supra suile assurrexit; paullatim domus suaee altitudinem aequat, quum filiae a servo excitatae e ianua proruunt singulae patremque cursum strenue tenere conspicatae metro loquuntur canuntve una omnes, quo ipsius cursus numerum significant. Mox depresso beluae ardore v. 124 sqq. placide cum patre in scarabaeo aurisque pendente singulae loquuntur. Pater fere dimidiā itineris partem conficit; reliquum iter a v. 154 eadem ratione conficitur, ita tamen, ut v. 157 sq. scarabaeus aut subsistat aliquantum aut etiam regredi videatur. Id quod v. 164-169 iterum fieri suspicor.

<sup>1</sup> Forsitan hoc addiderit quis eodem pertinere quod vss. 173-6 fabula tamquam in parabasi omissa ad machinatorem scaenicum histrio se convertat.

<sup>2</sup> J. Richter, *Aristophanis Pax*, Berolini 1860, proleg. pp. 31-2.

Ex quo efficitur, ut . . . tempus profectionis satis ducatur; itur enim ad superos."

Nec non in *Ranis* cum iter ad inferos quod longum fore et Dionysus existimaverat et Hercules dixerat<sup>1</sup> omne in scaena conficiendum sit interrumpendum per colloquium cum mortuo vss. 170 seq. habitum poeta curavit; deinde cum aequor Stygium — πλοῦν μακρὸν — vss. 208-70 navigant, chori canticum — id quo iam liquet Aristophanem temporis processum plerumque obtexisse — per totam fere navigationem auditur.

Quae omnia cum in mentem nobis veniunt, videtur Aristophanes in ordinandis intervallis et extra scaenam et in scaena sumptis plus adhibuisse curae quam e verbis quorundam<sup>2</sup> concludi potest.

## V

Eo igitur quod de ratione intervallorum constituendorum dicere volebam iam absoluto, ad aliud pergo argumentum curae quam in comoediis conscribendis ad rem temporalem rite tractandam Aristophanes adhibuerit. In iis enim tribus fabulis quas a multa nocte constat initia sumere, operam sedulo dedit ut spectatores sentiant sensim et pedetemptim tempus a tenebris in lucem pro-gredi.

*Nubes* enim ut supra<sup>3</sup> vidimus ante lucem primam exordiri nemo inficias ibit; gallus enim iam cecinit, luna adhuc fulget, lucerna ad codicillos legendos opus est. Mox tamen tempus paulum processisse monemur cum vs. 56 olivum defecerit;<sup>4</sup> atque plus plusque luce crescente iam vs. 59 lucernam ferens servus sese hinc facessit.<sup>5</sup> Vss. 91-3 tandem satis est lucis ut procul providere possint.

E *Vespis* autem clarius documentum profero. In cuius fabulae principio etiam atque etiam certiores sumus<sup>6</sup> noctem esse: servi enim et Bdelycleon dormiunt, porro Sosia vs. 216 aperte ορθρού

<sup>1</sup> Cf. pp. 39.

<sup>2</sup> Cf. p. 20 n. 2.

<sup>3</sup> P. 8.

<sup>4</sup> Van Leeuwen in ed. sua nota ad hunc vs. censem parcum senem poetam hic depingere nec non histrioni soliloquio intersciso respirandi locum dare; cui sententiae facile astipulor, nec tamen ea atque id quod ego supra disputavi inter se pugnant.

<sup>5</sup> Cf. van Leeuweni n. ad loc.

<sup>6</sup> Cf. p. 27.

$\beta\alpha\theta\nu$  esse autumat; cum iudices vs. 230 incedunt pueros secum habent qui per limosam viam<sup>1</sup> sibi praeluceant. Usque ad vs. 395 dormiunt custodes illi; interim vs. 366 commonefaciendos nos curavit poeta in  $\epsilon\omega$  pròcessum esse. Verum ut semel  $\epsilon\omega$ s fit celerius inde illucescit; qua re post vs. 414 pueri qui lucernas gerebant iudicum iussu<sup>2</sup> abscedunt.<sup>3</sup>

In *Ecclesiazusis* vero aequae atque in *Vespis* non modo variis ex indiciis<sup>4</sup> sed verbis conceptis<sup>5</sup> patefit  $\delta\rho\theta\rho\varphi$  fabulam incipere; et iam vss. 84–5 praedictum est ecclesiam in quam feminae iturae sunt  $\epsilon\xi$   $\epsilon\omega$   $\gamma\epsilon\nu\eta\sigma\epsilon\theta\alpha\iota$ . Tandem postquam chorus e scaena vs. 310 exiit inque scaenam vacuam Blepyrus incessit in  $\epsilon\omega$  per ventum est, ut e vs. 312 liquet:  $\pi\rho\delta$   $\epsilon\omega$  enim ait Blepyrus  $\nu\nu$   $\gamma'$   $\epsilon\sigma\tau\iota\tau$ . Postremo cum feminae ex ecclesia redeunt verba vs. 496  $\delta\epsilon\nu\rho'$   $\epsilon\tau\iota\tau$   $\sigma\kappa\iota\alpha\varsigma$  indicio esse puto iam in lucidorem partem mane esse progressum.

## VI

Nec tacenda sunt parva nonnulla per quae temporis condiciones quas ipse constituit praeter opinionem interdum servat; nivem dico in *Ach.* vss. 1141 et 1146<sup>6</sup> et hiemem in *Av.* vss. 105–6 una cum plumas vss. 1309 seq. Nec praetereundum est cum semel lunam mane fulgere in principio *Nubium* fecerit id et cum mensis vicesimo die congruere si mensis una cum luna crescente exordiatur, et cum colloquio illo nubium dearum cum luna habito;<sup>7</sup>

<sup>1</sup> Cf. vss. 248, 257, 259.

<sup>2</sup> Cf. vss. 408 seq.

<sup>3</sup> Quonam consilio? Num Cleonem arcessituri? Certe id non faciunt. Potius ut in *Thesm.* vss. 762–4, 1007, *Pac.* vss. 720–6 aliisque id genus locis non nullis aliam poeta obtendit causam, aliud ad rem dramaticam altius pertinens consilium in animo habet.

<sup>4</sup> Cf. p. 34.

<sup>5</sup> Vs. 20:  $\kappa\alpha\tau\iota\tau\iota\tau$   $\pi\rho\delta$   $\delta\rho\theta\rho\tau\iota\tau$   $\gamma'$   $\epsilon\sigma\tau\iota\tau$ . Cf. vss. 526–7:  $\pi\hat{\omega}\varsigma$   $\sigma\hat{\nu}\nu$   $\delta\rho\theta\rho\iota\tau\iota\tau$   $\varphi\chi\theta\iota\tau$  . . . et vs. 83:  $\epsilon\tau'$   $\epsilon\sigma\tau\iota\tau$   $\delta\sigma\tau\iota\tau$ . . . .

<sup>6</sup> Cf. pp. 18 n. 4, 46. Facile quidem inducor ut credam propter tempus anni quo fabulae docebantur poetam hiemem in fabulas *A E Av. T* intulisse, sicut complures de vero tempore et quanto ab initio belli illius iam distarent et alia id genus etiam extra parabasin commemoravit; ut puta *A* 266, 378, 504; *E* 792–3; *P* 679–81, 989–90; *Av.* 1046–7. At in dramaticum usum haec temporis indicia in *Acharnensisibus Avibusque* saltem convertit.

<sup>7</sup> Cf. vss. 607 seq.

nam luna quae initio mensis crescere incepit mane vicesimi mensis diei fulgens etiam antemeridiano diei tempore aliquamdiu in caelo manet. Nec minus pallor Phidippidae Atticusque vultus cum dierum aliquot intervallo quod Aristophanes in *Nubibus* constituit convenit. Et in *Vespis* cum luna nova sit<sup>1</sup> ideoque mane in caelo haud conspiciatur lucernis viatoribus opus est. Et fortasse addendum denique est quod in *Acharnensibus* nuntio Megara et Thebas allato is prior incedit qui propius ab Athenis habitat.

## VII

Postremo digna sunt quae seorsum commemorentur signa clara et in aliquibus fabulis identidem nobis proposita ut temporis a quo initium fabulae capiunt ita temporis in quod desinunt. Nec singillatim debeo iterare ea quae ordine pp. 2-50 disputata de cuiusque fabulae initii et exitus tempore invenies; verum cursim iuvabit ea repetere. Ergo satis certo tempore initia fabularum *Ach.*, *Nub.*, *Vesp.*, *Lys.*, *Thesm.*, *Eccles.* Aristophanes constituit, minus certo fabulae *Equitum*; tempus exitum fabularum *Vesp.*, *Pacis*, *Lys.*, *Eccles.*, *Pluti* certum praestitit, fabularum *Ach.*, *Nub.*, *Avium* minus certum, in *Ranarum* vero exitu ex natura loci neque diem nec noctem cogitare possumus. Ut igitur uno verbo omnia haec comprehendam, sex fabularum ex undecim plus minus certo tempore Aristophanes constituit initia, exitus vero octo fabularum e decem quae certum finem accipere potuerunt.

Iam igitur vidimus Aristophanem in septem<sup>2</sup> fabulis unitatem temporis observavisse, in quattuor nulla chori praesentiae ratione in hac re habita ultra diem actionem extendisse; porro quo facilius unitatem illam consequeretur vel omnino actionem continenter procedentem faceret eadem eum adhibuisse artificia quae Polczyk iam antea novae comoediae adiudicaverat. Deinde quamquam confitendum erat nonnumquam eum minus curiosum in re temporali fuisse et concedenda erat quaedam comica licentia tamen procedente argumento clarius fiebat maxima ex parte re vera eum rei temporalis haud fuisse neglegentem: primum enim ut intervalla quae extra scaenam sumerentur incidere aliquo modo obtegerentur

<sup>1</sup> Cf. vs. 171.

<sup>2</sup> Fortasse tantum sex; cf. pp. 49 seq.

parabases et alia eiusmodi cantica eum usurpavisse quae scaena histrionibus vacante de rebus a fabula alienis agentia animos spectatorum a re dramatica temporalique elicerent, quater autem omnino ea carmina quae absentibus histrionibus tamen ad fabulam pertinerent, rarissime vero id genus quod histrionibus coram de re ipsa dramatica ageret, alias autem scaenam dum longiores exterae actiones pergerent omnino vacuefecisse; deinde ut in minutis quibusdam rebus curiosiorem opinione eum fuisse ita operam dedisse ut et longiores in scaena actiones quas intra brevius tempus coartari oporteret artificiis levarentur et in iis fabulis quae a multa nocte initia caperent lentus temporis a tenebris in lucem processus signis claris ostenderetur; postremo curae ei saepius fuisse ut initia et exitus tempore certo constituerentur.

Intentus denique fabulas inspexi ut manifestum fieret meliusne tractavisset poeta tempus dramaticum postquam multo se in fabulis meditandis exercuisset quam cum rudis adhuc miles esset. Praterquam igitur quod rationes in intervallis cooperiendis locandisque quod sciam non mutavit haec licet animadvertere: primum nullam extra scaenam actionem in posterioribus fabulis tam male occultam quam Amphithei longam profectionem reliquit; dein nusquam tantum intervalli incidere sivit quam in *Acharnensis* iudicavimus eum posuisse; huc accedit quod in prioribus solis fabulis ea genera cantorum ad intervalla cooperienda adhibuit quae pp. 59, 65 pessima esse ostendi. Nec fortasse praetermittendum est in *Vespis* et *Ecclesiazusis* melius eum quam in *Nubibus* lendum temporis progressum exhibuisse.

Quae omnia sive mera natura et indole seu de industria faciebat — quod potius ex argumentis allatis patere censeo — tamen dummodo cum eiusdem aetatis poetis componatur non ita male rem temporalem tractavisse videbitur.